DE

OROPO ET AMPHIARAI SACRO

TOLOSÆ. — EX TYPIS A. CHAUVIN ET FILS, VIA DICTA DES SALENQUES, 28.

DE

OROPO ET AMPHIARAI SACRO

THESIM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

PROPONEBAT

F. DÜRRBACH

GALLICAE QUAE EST ATHENIS SCHOLAE OLIM SOCIUS
NUNC IN FACULTATE LITTERARUM TOLOSANA COLLOQUIIS PRAEFECTUS

PARISIIS

APUD ERNESTUM THORIN EDITOREM

7, VIA DICTA DE MEDICIS, 7

MDCCCXC

PATRI ET MATRI

OPTIMIS PARENTIBUS

D. D. D.

PROOEMIUM

Societatis Atheniensis Archaeologicae cura et sumptibus sacrum nuper investigatum est, quod prope urbem suam Oropii quondam Amphiarao dedicaverant; templi, porticus, theatri fundamenta apparuerunt; multae inscriptiones effossae, quae non pauca attulerunt tum ad ipsum sacrum tum ad Oropum urbem pertinentia. Placuit igitur, collatis quae nobis scriptores transmiserunt, omnia haec, quae novissime in lucem edita sunt, colligere et rem totam ab integro tractare, ita ut primum res Oropiorum ex ordine enarremus, deinde exponamus, quae peculiariter ad templum et ad cultum Amphiarai spectant.

Ac ne singulos recenseamus scriptores, quorum testimonia in commentatione nostra occurrent, praecipui fontes Herodotus, Thucydides, Isocrates, Demosthenes, Polybius, Diodorus, Strabo, Pausanias fuerunt; inter quos Pausanias de Amphiarai templo plurima nos edocet. Titulorum autem diversa genera sunt : unum iam, praeter paucos alios, qui maximi

momenti est, dedit Bœckh in *C. I. G.* (1570) (1), decretum scilicet quo Oropii vasa sacra refici iubent. Praeterea, annis 1852 et 1853, proxenica quaedam decreta et catalogum victorum certaminum, quae fragmenta omnia in Mavrodilissi dicta valle reperta sunt, ediderunt simul Newton (2), Preller (3) et Rangabis (4). Sed pauca sunt illa : multo plura his ultimis annis ibidem eruta sunt (5), inter quae memoranda praesertim : decreta proxenica permulta, — tituli agonistici, — praescriptum quoddam ad res sacras pertinens (κανονισμός), — statuarum subscriptiones, quarum aliquot ab Oropiis quibusdam pro semetipsis aut parentibus, pleraeque vero a civitate in honorem notissimorum Romanorum dedicatae sunt, — senatus consultum denique anni 81 a. C. n. de controversia quae inter Oropios et publicanos orta est. Horum titulorum maximam partem exhibet nunc Ἐφημερὶς Ἀρχαιολογική (6) ; reliqui nondum publici iuris facti sunt.

Ex illis, qui de Oropiorum rebus adhuc conscripserunt, praecipue nominandus est Preller, qui in egregia disceptatione, quae inscribitur *Oropos und*

(1) Quem alii postea, paucis emendatis, rursus exscripserunt. Cf. *infra*, part. II, c. III.

(2) *Transactions of the royal Society of Literature*, second series, t. V, p. 107-152, 275-283.

(3) *Berichte d. K. Sächsl. Gesellschaft d. Wissenschaften*, 1852, p. 150-166.

(4) *Antiquités helléniques*, t. II, n°s 678-687.

(5) Ab anno 1884.

(6) Series tertia, 1884-1886, *passim*. Ediderunt Leonardos, Kumanudis, Basis.

das Amphiaraeion (1852) (1), accurate ex veteribus excerpsit, quaecumque de urbe vel templo memoriae prodiderunt.

Nobis igitur, de iisdem rebus disserentibus, illa praeterea documenta praesto fuerunt, quae nuperrime innotuerunt; quin etiam nonnullis uti licuit, quae ad hunc diem non edita sunt. Dum enim ipsi loca perlustravimus, mense decembri anni 1885, facultas exscribendi quae placeret concessa est nobis a B. Leonardo, quem Societas Archaeologica explorando sacro praefecerat : cui meritam gratiam libenter nunc persolvo.

Tabulas commentationi nostrae duas adiunximus, quarum altera (I) Oropiam et finitimas regiones repraesentat, altera (II) sacrum Amphiarai, quale modo a Doerpfeld descriptum est (2).

(1) *Berichte d. Sächs. Gesellsch. d. Wissensch.*, 1852, p. 140-188. — Cf. Ersch et Gruber, *Allgem. Encyclopedie*, III, 5, p. 505 et seqq. (Meier); Stacke, *De Oropo Boeotiae urbe*, Marburg, 1842, quem citat Bursian, *Geogr. von Griechenland*, I, p. 219 et seqq.; Drabbe, *De Oropo*, Lugd. Batav., 1846 (66 p.), ex quo legendo fructum fere nullum capias. In dissertatione, quam dedit von Wilamowitz-Möllendorf in *Hermes* XXI (p. 91-115 : *Oropos und die Graer*), non pauca sagacissimus scriptor exposuit, quae probanda esse nobis visa sunt.

(2) Πρακτικὰ ἀρχαιολ. ἑταιρίας, 1884, πιν. Ε; 1886, πιν. Γ.

PARS PRIOR

DE OROPO URBE ET OROPIORUM REBUS

DE

OROPO ET AMPHIARAI SACRO

PARS PRIOR

DE OROPO URBE ET OROPIORUM REBUS

CAPUT PRIMUM.

DE OROPI URBIS SITU.

(*Vid. Tab. I in extrema parte disceptationis.*)

Septentrionalem Atticae partem, quae ad Euboeam vergit, continui colles, tanquam densissimi rami a Parnethe et Pentelico montibus oriundi, obtinent, et litoribus ubique ita praetenduntur, ut nusquam in toto latere spatium offendas, ubi urbs aliqua nobilis considere potuerit : et reipsa a Rhamnunte usque ad Boeotiae fines ante Oropum duo portus tantum memorantur, Psaphis et Delphinium, quos admodum

exiguos fuisse tibi facile persuaseris : ora enim tota aspera et montuosa, praeterquam incolis commoda non est, stationem tutam navibus non praebet. Hac igitur parte Attica cum obiacente Euboea aegre communicat nec commercium exercere potest : natura ipsa utrinque populi dirempti sunt. — Sin autem ultra vicum hodiernum, quem *Skala* Oropi vocant, ad occasum solis processeris, planities sese offert; abhinc enim montes a mari proximo recedunt et campum satis apertum circumdant, quem Asopus flumen alluit : Oropia illa regio est, quam extra fines Atticae sitam fuisse veteres consentiunt (1).

Usque ad *Sykamino* et *Oropo* vicos, meridiem versus, campus patet. Deinde si quis a Sykamino, adverso flumine, interiorem terram petere statuit, prius illi duarum horarum itinere angustae fauces transeundae (nam ripae Asopi arte a collibus stringuntur), ultra vero in latos et uberrimos agros evadit, quos Tanagraei olim colebant, quique Thebanorum fines et Oropiorum seiungebant (2)

Ex ipsa locorum opportunitate intellegi potest, quibus de causis tantopere et tam constanter certaverint inter se Athenienses et Thebani ut Oropiam sibi adsciscerent, quippe quae accessum ad Euboïcum mare utrique genti aperiret. — Etenim cum Euripi

(1) Thucyd., III, 91 : Ὠρωπὸς τῆς πέραν γῆς. Lysias, *C. Philonem*, § 9 : συσκευασάμενος γὰρ τὰ ἑαυτοῦ εἰς τὴν ὑπερορίαν ἐξῴκησε καὶ ἐν Ὠρωπῷ μετοίκιον κατατιθείς... Pausan., 1, 34, 1 : τὴν γῆν τὴν Ὠρωπίαν, μεταξὺ τῆς Ἀττικῆς καὶ Ταναγρικῆς. Strabo, IX, I, 22 : Ὠρωπὸς... ἐν μεθορίῳ τῆς τε Ἀττικῆς καὶ τῆς Βοιωτίας.

(2) Pausan. et Strab., *loc. cit.*

freto Chalcis potiretur, quae modo hos, modo illos fovebat, Thebani nisi per Tanagraeorum et Oropiorum agrum ad mare non pertinebant, quotienscumque Chalcis societatem cum Atheniensibus inierat aut eorundem dominationem acceperat. Verum, quod ad Thebas attinet, huic urbi quam maxime conducebat, ut ab iisdem oris Athenienses arcerent. — His enim una ad Euboeam via per Deceleam et Oropum transibat; illac cum Eretria et cum reliquis urbibus secundum litus Thessaliae tenus positis coiungebantur, seu contra Thebas vicinis populis auxiliari, seu mercaturas facere et rem frumentariam sibi parare vellent. Cum igitur accideret ut Oropum amitterent, naves Atticam magno ambitu circumvehebantur : quae navigatio longa erat et difficilis, nam interdum tempestas adversabatur, interdum et hostibus et diversis periculis obnoxia fiebat : quapropter frumenta, quibus Attica carebat, non iam opportune perveniebant et Athenae fame laborabant. Et re vera postquam in bello Peloponnesiaco Deceleam Lacedaemonii occupaverunt, qua iter ab Oropo Athenas ducebat, in magnis angustiis versata est res publica, testante Thucydide : « Commeatus ex Euboea subvectio cum prius ex Oropo itinere terrestri per Deceleam brevior esset, circa Sunium itinere maritimo magnis sumptibus fiebat, et necesse erat omnibus pariter rebus advecticiis civitas uteretur, et quae prius urbs erat, tunc in castellum commutata est (1). » Nonne ab

(1) Thuc., VII, 28. — Quae de Decelea expugnata hic tradit Thucydides, manifesto et de Oropo valent.

uno hoc exemplo plane discimus quanti momenti Oropia Atheniensibus fuerit? Non mirum est igitur, illos regionis possessionem tam vehementer concupivisse et semper enixos fuisse, ut sibi ereptam reciperarent.

Ubi ipsa urbs Oropus in hac regione olim exstiterit, nunc quidem nulla certa vestigia demonstrant, resque diu incerta visa est. Alii enim hodiernum *Oropo* pagum in ipso antiquae urbis loco coortum esse opinabantur (1), alii eandem potius in litore, ubi scilicet *Skala* Oropi nunc sita est, quaerendam esse censebant : quae quidem opinio, cui nunc fere omnes assentiunt, et nobis multo probabilior esse videtur (2). Miro enim modo a Strabone corroboratur : qui, postquam Graeciam et Euboeam perlustraverat, oppida maritima ex ordine nuncupavit, nec non plerumque indicavit quantis intervallis unumquodque a vicinis distaret. Ergo his verbis utitur, cum a Sunio promuntorio ad occasum solis tendit : « Inde Rhamnus..., post Psaphis Oropiorum, et alicubi prope Amphiarai quondam cultum oraculum (3)... » Mox, ubi Boeotiam attingit, ita pergit : « Principium

(1) Post Leake, eius sententiae fuerunt Hanriot, *Dèmes attiques*, p. 132 et seqq., et J. Girard, *Mémoire sur l'île d'Eubée*, *Archives des Missions*, 1851, p. 671.

(2) Bursian, *Geogr. von Griechenland*, I, p. 219; cf. imprimis Lolling, *Mittheil. Instit. Athen*, X, p. 350 et seqq. : *Das Delphinion bei Oropos und der Demos Psaphis.*

(3) Strabo, IX, 1, 22. — In verba Ψαφὶς ἡ τῶν Ὠρωπίων errorem quendam irrepsisse iure suspicatur von Wilamowitz, *Hermes*, XXI, p. 108, n. 3.

est Oropus et sacer portus quem Delphinium vocant, e quo Eretria vetus est in Euboea, traiectu sexaginta stadiorum distans. Post Delphinio Oropus abest viginti stadiis : huic Eretria quae nunc est opponitur, traiectu quadraginta stadiorum (1). »

In hoc quidem diu haeserunt doctissimi viri, quod Strabo Eretriam priorem et recentiorem distinguit (τὴν παλαιὰν et τὴν νῦν Ἐρέτριαν), de priore autem nihil compertum habemus. — Recentiorem reliquiae satis apparentes declarant in promuntorio, quod in mare ad meridiem prominet, arci subditam fuisse, quae nunc etiam altis moenibus et turribus surgit : nomen ipsum, nunc in *Aletria* commutatum, vicum ibidem consurgentem adhuc designat. — Inter hunc locum et *Skala* quadraginta stadia numerantur (2) quibus Eretriam ab Oropo distare asserit Strabo : quapropter pro certo habendum est ipsius Oropi locum *Skala* nunc tenere.

At repugnat, si nonnullis credimus, Thucydidis testimonium, quo auctore inter Oropum et Eretriam sexaginta ferme stadia intererant (3); ideoque contenderunt Oropum interiorem in terris fuisse et constitisse in loco quo nunc *Oropo* eodem nomine vicus surgit : nam abhinc Eretriam usque re vera sexaginta stadia sunt. Verum hoc pacto totus Stra-

(1) Strabo, IX, II, 6.

(2) 8,000 m.

(3) Thuc., VIII, 95 : ἀπέχει δὲ μάλιστα ὁ Ὠρωπὸς τῆς τῶν Ἐρετριέων πόλεως θαλάσσης μέτρον ἑξήκοντα σταδίους. — Praeterea etiam Pausanias, I, XXXIV, 1, his verbis testatur Oropum portum fuisse : Ἡ μὲν οὖν πόλις ἐστὶν ἐπὶ θαλάσσης.

bonis locus perobscurus fit; praeterea animadvertendum est omnes, qui de Oropo mentionem fecere, tanquam de portu locutos esse; inter quos Strabo, cum urbes totius litoris singulas enumerat, ipsam oram sequi videtur et portus tantummodo recenset, nec denique ullo modo significat Oropum spatio aliquanto a mari distare, quemadmodum cum templum Amphiarai proximum memoravit (ἐνταῦθα δέ που) : at contra quoniam verbo διάπλου usus intervallum inter Eretriam et Oropum notat, non agitur certe de urbe quae viginti stadiis a litore remota esset Sed et Thucydidis, a quo, ut aiunt, Strabonis locus refellitur, verba θαλάσσης μέτρον manifesto idem valent. Ipso igitur in litore, ubi nunc *Skala*, Oropus erat. — Quare autem sexaginta stadia Thucydides profert? ipse nos monuit, vocabulo μάλιστα adiecto, ne nimiam fidem huic numero adderemus; nam, si non suspicaris aliquem errorem in Thucydideum locum irrepsisse, facile concedes saltem illum scriptorem, qui obiter hic Oropum commemorat, non eandem curam et diligentiam in hoc intervallo aestimando impendisse atque Strabonem, qui regionem totam ipse invisit, seduloque itinera inter urbes commensus est, compertis etiam, ut verisimile est, et quae incolae traderent et quae de geographia locorum conscripta essent (1).

(1) Cf. Lolling, *loc. cit.*, p. 350-351. Cum vero et ipse Epitomator Strabonis (X, 10; C. Müller, *Geogr. Graec. min.*, II, p. 586), inter Eretriam et Oropum sexaginta stadia interesse referat, arbitrari licet hunc numerum e Thucydide huc translatum fuisse; nam si contra ex

Quoniam igitur satis aperte patet, ubi Eretria recentior et Oropus urbes positae fuerint, facilius iam aliarum, quas nominat Strabo, sedes assignari potest. — Nam Delphinium viginti stadiorum tractu orientem versus abesse ab Oropo certiores nos fecit. Id autem intervallum unius ferme horae itinere secundum litus conficitur. Cum ibi nulla surgant manifesta antiquae urbis monumenta, tamen in ipso mari fundamenta quaedam primus indicavit Lolling, quae nunc fluctibus submersa exiguum portum conscripsisse videntur: *Mandraki* nomen his reliquiis additum, quoniam stabulum ovibus aptum (μανδράν) forma visae sunt referre. Quae certe mole quadam interiecta ad terram pertinebant; sed haec quidem tota obruta est. Quam autem ob causam Delphinium portus sacer a Strabone dicatur, e propinquitate Amphiarai templi liquet : nam ad utilitatem sacri huius accommodatus fuisse videtur, quo brevis via ducit. Huc igitur appellebant, hinc a templo regressi rursus altum petebant (1).

Denique in eodem litore aliam Oropiorum urbem Strabo memorat, Psaphidem proximam Atticae (legendum est : Atticum pagum), sed huic locum certum non tribuit; neque alio documento commonefacti su-

Thucydidis et Epitomatoris auctoritate quadraginta stadia Strabonis corrigere vis, nihil inde proficies; ita enim et aliae mensurae, quas una prodit Strabo, corrigendae sunt, et totam loci rationem omnino perturbatam esse fatearis necesse est, quippe omnia haec arte cohaerent, et si mutaveris hoc aut illud, reliqua simul in incertum revocabis (Lolling).

(1) Lolling, *ibid.*, p. 351-352. Huic litoris parti nomen *Kamaraki* impositum est.

mus de oppidi situ : fortasse in illo exiguo campo, qui infra *Kalo-Livadi* monasterium patet, aut in vicino colle quodam, positum fuit (1). Verum de hoc nihil accuratius dici potest.

Quoniam nunc cum probabilitate quadam designavimus, quibus in locis urbs Oropus et Delphinium portus exstiterint, facilius inde, si revertimur in Euboeam, Eretriae, quam vocat Strabo veterem, situm comperiemus. Quae idcirco nullum sui monumentum reliquit, quod antiquitus iam (anno 490) a Persis vastata fuit et a civibus deserta (2). Constat tamen ab illa recentiorem non multum remotam fuisse, nam Strabo verbo ἐπέκτισται significavit incolas non longe a prisca sede migravisse (3). Deinde idem Strabo nos monet veterem urbem prius apparere ab ortu solis advenienti. Si quis igitur ab Eretria nova vicum *Vathya* se confert, apertum maris sinum itinere ambiens, vix dimidio horae in imo litoris recessu ruinis occurrit, in quibus nonnulli, quod sane verisimile est, Dianae Amarysiae sive Amarynthiae templum perantiquum et multa religione cultum agnoscunt (4). Nec multo procul Ἀμάρυνθος κώμη erat,

(1) Plura de Psaphide vide ap. Lolling, *loc. cit.*, p. 354 et seq.; supra, p. 16, n. 3.

(2) Strab., X, I, 10; eadem ap. Eustath. ad Hom. *Iliad.*, II, 537.

(3) Non tamen ex verbo ἐπέκτισται (X, I, 10) concludere licet novam urbem in ipso prioris loco aedificatam fuisse, sicut quibusdam placuit. Nam alibi idem Strabo (IX, II, 6) duarum urbium sedem diversam fuisse manifesto declarat.

(4) Bursian, *Geogr. von Griechenl.*, II, 421 et seq.; cf. Lolling, *loc. cit.*, p. 354.

quippe quae, Strabone auctore (1), septem tantum stadiis a moenibus urbis Eretriae recentioris distaret. Circa quem locum, ut videtur, prope templum urbem etiam priorem condiderant Eretrienses. Nam si recte abhinc Delphinium petes, traiectu maris sexaginta stadia metieris, quibus hunc portum ab Eretria vetere distare contendit Strabo.

Plane igitur inter se haec omnia congruunt et investigatione locorum comprobantur. Quapropter, etsi certissima indicia desiderantur, recentioris et prioris Eretriae illinc, hinc Oropi et Delphinii situs recognosci potest : ex quo manifestius liquet Euboeam insulam et terram continentem per Eretriam praesertim et Oropum commercia exercuisse, et maximum in harum urbium vel possessione vel societate Atheniensibus fuisse emolumenti.

(1) Strab., X, I, 10.

CAPUT SECUNDUM.

DE REBUS OROPIORUM USQUE AD ANNOS EXEUNTIS QUARTI A. C. N. SAECULI.

Qui populi oram illam principio tenuerint, inquirere difficile est. Narrat Herodotus Gephyraeos (sive Tanagraeos) se ex Eretriensibus ortos praedicavisse; ipse vero hanc originem infitiatur, qui compererit Tanagraicum campum cum tota Boeotiá a Phoenicibus Cadmi sociis olim occupatam fuisse. Haec autem, quae scriptori diversa videbantur, fortasse non inter se pugnant: fieri enim potest, ut iidem Phoenices simul Thebis et Eretriae consederint (1).

Quidquid de hoc Herodoti loco censendum est, pro certo habemus unam eandemque gentem in regione quae usque Thebas hinc, Eretriam illinc patet, sedem olim constituisse, sive Achaei, sive Graes vel

(1) Memorat etiam Strabo Arabas una cum Cadmo usque in Euboeam transmisisse: quos eosdem fuisse atque Gephyraeos, de quibus loquitur Herodotus, facile intellegitur (X, 1, 8). — Ita Preller, *Oropos*, p. 172. Aliter von Wilamowitz, qui omnino refellendam esse censet Herodoti opinionem (*Hermes*, XXI, p. 106, n. 1).

Graeci, sive alio potius nomine appellandi sunt (1). Nam primum Graea nomen, quod non semel apud scriptores invenitur, modo proximum Thebis agrum, modo Tanagraeorum vel Oropiorum designabat (2). Praeterea argumento est cultus ille Cereris Achaeae qui pervulgatus in tota Boeotia fuisse videtur prius-quam ipsi Boeoti regionem invasissent (3).

Accedunt alia indicia, quibus freti asseverare quimus, unam gentem in utroque Euripi litore incoluisse. Nam antiquissimus ex Oropiis titulis, qui ad nos pervenerunt, sermone eius simillimo conditus est, quo Eretrienses utebantur (4). Non modo enim dialectum ionicam peculiarem ambae civitates usurpabant, verum etiam in Oropia inscriptione quaedam offendimus, quae solus Eretriensis quidam titulus praebet; de rhotacismo loquor, qui in nonnullis verbis et

(1) Von Wilamowitz, *ibid.*, p. 107, 113 et seq. Idem demonstrat Æolum appellationem posterius usurpatam fuisse, circa scilicet illa tempora, quibus prisci incolae, a Boeotis pulsi, in Asiam confugerunt, unde id vocabulum in Graeciam reverterit (p. 108).

(2) Steph. Byz., s. v. Ὠρωπός et Τάναγρα; Hom., *Il.*, II, 498; Thucyd., II, 31 (de quo loco cf. von Wilamowitz, *Hermes*, XII, 343); Strab., IX, II, 10. Ceterum verbum Tanagra huic simillimum esse apparet. — De pago Attico, cui nonnulli idem nomen imponunt, vide quae nuper disseruit Foucart, *Bull. de corr. hellén.*, XIII, p. 350.

(3) Von Wilamowitz, *Hermes*, XXI, p. 106, n. 1.

(4) Legem significo, qua Oropii nonnulla de sacris faciendis praescribunt; de qua infra agetur (part. II, cap. III et IV). Titulus exeunti quinto a. C. n. saeculo vel incipienti quarto adscribendus est; ipsa forma et confectio huius edicti declarant Oropum illo tempore liberum fuisse; Atheniensium igitur iugum nuper excusserat (de qua re vide paulo infra); quapropter patrium sermonem, nondum obsoletum, rursus usurpat (cf. von Wilamowitz, *ibid.*, p. 97).

hic et illic occurrit (1). — Praeterea ex titulo eretriensi, qui nuper publici iuris factus est, discimus et Eretriae pagum quendam Oropum nomine exstitisse (2). — Denique tradit Theopompus vicum in Oropia Eleutherida a Cotho et Æclo, ex Euboea ortis, conditum fuisse (3).

Scriptores rerum referunt iam antiquitus Eretriam late imperium prolatavisse. De bello enim, quod cum Chalcide propter Lelanti agri possessionem conseruit (4), animadvertit Thucydides tum primum universos Graecos in duas partes fuisse divisos (5); ex quo apparet, quantum iam pollerent Eretriensium et Chalcidensium civitates, quae propter peculiare quoddam certamen tantam agitationem in Graecia moverent. Eretria quidem traditur temporibus illis in insulis Andro, Paro, Ceo, Teno aliisque dominationem exercuisse (6). Quapropter nemo infitiabitur penes illam civitatem, quae tantis viribus polleret, dominationem in adverso litore fuisse, Oropum autem arbitrio praepotentioris urbis obtemperavisse. Quin et coiectura assequi possumus Eretrienses prius Delphinium portum, Eretriae vetustiori oppositum, ipsos condidisse, mox, ubi sedem urbis suae mutavissent,

(1) Plura vide infra (part. I, cap. v).

(2) Ἐφ. Ἀρχ., 1887, p. 108. — Vicus quidam Graea etiam prope Eretriam erat (Steph. Byz., s. v.).

(3) Ap. Steph. Byz., s. v.

(4) Herod., V, 99; cf. Busolt, *Griech. Gesch.*, I, p. 313-315. Circa priorem partem septimi saeculi.

(5) Thuc., I, 15.

(6) Strab., X, I, 10.

Oropum recentiori adversum, quibus oppidis continentis terrae oram tenerent (1).

Quo tempore, quo pacto Oropum amiserint Eretrienses, parum liquet. Urbem hanc aliquando a Boeotis fuisse captam, postquam Eretriensium vires infaustis bellis imminutae fuissent, suspicatur von Wilamowitz, cuius coiectura, manifestis indiciis deficientibus, satis placet (2). Certum est quidem totam oram in Atheniensium dicionem paulatim cessisse (3): cum vero pacem, imo societatem perpetuam, quod sciamus, servaverint cum Eretriensibus (4), quomodo socios reiecerint, non intellegitur, nisi admittimus hostilem aliam gentem interea huic litori minitatam fuisse. Boeoti enim cum e Thessalia in regionem, quae ab ipsis nomen Boeotiam accepit, invasissent, pedetentim priscos incolas seu subiecerunt seu exsulare coegerunt. Ut reliquos populos omittamus, in altera sexti saeculi parte Tanagraeos certe sibi obnoxios habuerunt: quod aperte demonstrant huius urbis tituli dialecto Boeotica conditi (5). Circa autem annum 550, traduntur nonnulli Tanagraei cives et Boeoti una cum Megarensibus e sede sua emi-

(1) Von Wilamowitz, *ibid.*, p. 105. Qui existimat Eretrienses in tota Asopi fluminis valle dominatos fuisse, snmpto argumento ex nomine oppiduli Hysiarum, quod etiam Ὑριαί scribitur (*ibid.*, n. 1. — Vid. Steph. Byz., s. v.).

(2) *Loc. cit.*, p. 104-105, 111 et seq.

(3) Locos scriptorum collegit Preller (*Oropos*, p. 172-174).

(4) *Ibid.* — Pisistratus Eretriensium ope fretus tyrannidem occnpat (Curtius, *Histoire grecque*, trad., I, p. 434-444).

(5) Von Wilamowitz, *ibid.*, p. 110 et seq.

gravisse ut coloniam Heracleam Ponticam conderent (1) : ex quo apparet accessum ad Euboïcum mare illo quidem tempore praeclusum Boeotis fuisse, quoniam coguntur per Megara urbem litus petere. Postquam vero Boeoti Tanagra potiti sunt, aequum est censere naturali quodam eos impulsu in Oropiam irrupisse, ut ad Euripum pervenirent.

Memorat Herodotus Croesum regem Amphiarai oraculo, pro responsis impetratis, munera misisse, clypeum scilicet et cuspidem, quae Thebani servabant in Apollinis Ismenii templo, in quo ipsi scriptori utrumque donum videre licuit (2). De Oropio oraculo, non de Thebano quodam loquitur Herodotus, quod infra monebimus (3); qua ratione igitur Thebani haec munera, si belli praemia non essent, in urbe sua detinuissent (4)?

Quapropter probabile est circa illam aetatem Thebanos arma in Oropiam intulisse; diuturnam eos dominationem exercuisse non crediderim : mox enim in Athenienses incidunt, qui ea tempestate patrocinium Oropi suscipere videntur, quemadmodum iisdem annis Plataeas contra Thebanorum impetum tuentur.

Ab exeunte sexto a. C. n. saeculo ad annum 412.

(1) Busolt, *Griech. Gesch.*, I, p. 591.
(2) Herod., I, 46, 52.
(3) In part. II, cap. I.
(4) Von Wilamowitz, *ibid.*, p. 105.

— Anno 519 Plataeensibus auxiliati Athenienses Thebanos devincunt et terminum eorum dominationi Asopum flumen constituunt (1). Mox, eiectis Pisistratidis, pulsoque ex arce Cleomene Lacedaemoniorum rege, bellum iterum adversus Thebanos et Chalcidenses suscipiunt, quos utrosque vicissim profligant, et Euripum transgressi Chalcide potiuntur (507), denique quattuor milia colonorum in hanc urbem mittunt, qui inter se agrum Chalcidicum dispertiuntur (2). Per haec bella Eretriae quidem et Oropi nomina nusquam apud Herodotum, qui ea narrat, occurrunt; nihilo minus tamen necesse est ambas urbes cum Atheniensibus consociatas fuisse, nam quo pacto illi in Euboeam transissent? ceterum utrique quam maxime conducebat partes Atheniensium fovere.

Paulo post etiam, cum coortae Ionicae civitates arma ceperunt ut a Persis desciscerent (499), Athenienses et Eretrienses accipimus ex communi consilio classem Miletum misisse (3). Ubi autem victrices Persarum copiae Mileto deleta iam in Graeciam se converterunt, per Euboeam iter fecerunt occupaveruntque Carystum et Eretriam mox Marathonium campum invasuri (4). Atheniensium vero exercitus cum ex

(1) Herod., VI, 108; Thuc., III, 55. — Curtius, *Histoire grecque*, trad., t. I, p. 487 et seq.

(2) Herod., V, 77; Curtius, *ibid.*, p. 493.

(3) Herod., V, 99; Plut., *De mal. Herod.*, 24.

(4) Herod., VI, 44. — Etiam in Salaminio et Plataico proeliis iuxta Athenienses pugnant Eretrienses (Herod., VIII, 46; IX, 28).

Euboea cederet, per Eretriam et Oropum, ut memorat Herodotus, in Atticam sese recepit : διαβάντες ἐς Ὠρωπὸν ἔσωζον σφέας αὐτούς (1). E quibus certe verbis liquet Oropum eo tempore in ipsorum vel possessione vel societate fuisse.

Cum, impetu barbarorum repulso confectisque Persicis bellis, Athenienses ultro imperii sui fines propagaverunt, in Euboea firmius dominationem imposuerunt. Ac fuit quidem tempus, quo fortuna eorum periclitari visa est : pugna enim ad Coroneam data victi Boeotiam, in quam invaserant, rursus amiserunt; et mox Euboeae incolae Boeotis se adiunxissent, ni Pericles in insulam cum quinque milibus militum transvectus seditionem statim sedavisset (447-446). Pleraeque civitatum in foedus maritimum acceptae sunt; quin etiam novos cleruchos Athenienses miserunt ut praesidiis ubique validis inniterentur (2).

In decreto quodam, quo cleruchiam usque Histiaeam in septentrionale Euboeae litus mittendam constituunt, verba quaedam notanda sunt, quibus decernunt ut iter per Oropum urbem faciant coloni (3). — Et in ipsam Oropiam crediderim seu tum, sive iam antea colonos Athenienses consedisse, nam eam

(1) Herod., VI, 101. Solus is est locus, in quo is scriptor de Oropo mentionem facit.

(2) Vid. E. Curtius, *Hist. grecque*, trad. Bouché-Leclercq, II, p. 446 et seq., 540 et seq.

(3) *C. I. A.*, I, 28-29. Titulus sane valde mutilus est ; in quo tamen nonnulla dispiciuntur (vers. 19-20) : « ἐξ Ὠρωποῦ ἐ[ς] Ἑσ[τίαιαν] ; » vers. 21 : « ἐς] Ὠρωπὸν πορουμέ[ν]η ? »

urbem *subiectam* fuisse Athenis declarat Thucydides (1) : quamobrem Oropii neque cives Attici reputandi sunt, neque foederati aut socii, cum eorum nomen in catalogis urbium tributariarum nusquam reperiatur (cui etiam condicioni verbum ὑπήκοος repugnat) ; restat ut per cleruchos dominationem in eorum finibus tenuerint Athenienses, quam consuetudinem et in reliquis coloniis usurpabant (2).

Iam notum et pervulgatum est, quot et quantas inimicitias, quantum in se odiorum Athenienses undique concitaverint, qui modum avaritiae nescirent imponere, dum et in sociorum agris cives suos collocarent, ita ut nonnunquam prisci incolae exsulare cogerentur, et tributa immodica a sociis exigerent, ut suis ipsorum impensis, aedificiis scilicet exstruendis et sollemnibus celebrandis, suppeditarent. Itaque mira res est, qua celeritate omnes detestabilem dominationem exuerint, cum primas in Peloponnesiaco bello clades res publica perpessa est. Et illi, qui antiquitus societatem eorum inierant, desciverunt. Inter eos etiam Eretrienses et simul Oropios defecisse accipimus.

Primis quidem belli annis nonnullas pugnas prope Oropum commissas fuisse tradit Thucydides (3) ; nec tamen adhuc urbem illam bello se immiscuisse refert. Anno autem 413 Decelea a Lacedaemoniis occupa-

(1) Thuc., II, 23; cf. IV, 99.
(2) Vid. infra, part. I, cap. V.
(3) Thuc., III, 91 ; IV, 91, 96, 97, 99.

tur (1); insequente anno, per proditionem etiam Oropus a Boeotorum copiis capitur; de qua re quaedam Thucydides addit : ait enim Oropum Boeotis a praesidio Atheniensi, qui hic agebat, simul et ab Eretriensibus et a nonnullis etiam ipsius urbis civibus deditum fuisse, qui Euboeam Atheniensibus eximere moliebantur (2). Et revera Oropo statim capto Eretrienses a Rhodo Lacedaemonios in Euboeam advocant (3). Iam tum igitur pactum cum Peloponnesiis Eretria occulte videtur fecisse : quod anno 411 palam erupit. Nam navale proelium inter Atheniensium et Lacedaemoniorum classes conseritur; in quo profligati illi Eretriam in adversum litus confugiunt, ubi tanquam hostes ab incolis excepti trucidantur (4).

Quibus compertis, Thucydides pergit, consternatio quam maxima fit Athenis : nam praeter ceteras clades, de quibus nuntius venerat, et ex Euboea depellebantur Athenienses, quae illis pluris quam ipsa Attica erat (5). — Oropum autem, quem centum fere antea annis sibi annexerant, amittebant, nec postea usque ad Romanam dominationem, nisi bis aut ter in paucissimos interim annos, rursus reciperaverunt.

412-383 (?). — Coiectare possumus aliquid ra-

(1) Thuc., VII, 18-19; cf. supra, cap. I, p. 15.
(2) Thuc., VIII, 60. — Huic proditioni alludit Lysias, *Pro Polystr.*, § 6.
(3) Thuc., *ibid.*
(4) Thuc., VIII, 95, in fine. — Diod., XIV, 17.
(5) Thuc., VIII, 96 : Εὔβοιαν... ἐξ ἧς πλείω ἢ τῆς Ἀττικῆς ὠφελοῦντο.

tionis et consuetudinis Athenienses cum Oropiis aliquandiu postea servavisse, ut qui inter se per tam longum temporis spatium commixti fuissent. Sic nos Lysias docet Philonem quendam Atheniensem, quo tempore triginta viri civitatem vexarent ipsumque eiecissent ex urbe, se Oropum transtulisse (404), εἰς τὴν ὑπερορίαν videlicet, in qua urbe patrocinio se civis alicuius subdidit, malens ibi tanquam metoecus vivere quam se cum Thrasybulo et reliquis exsulibus in discrimen et pericula pro libertate committere (1).

Paulo post tamen strictius sibi Oropum devinciunt Thebani; quod e Diodori Siculi testimonio noscimus. Nam anno 402 seditione in urbe orta civium nonnulli exsulare coguntur. Qui per semetipsos primum in patriam reverti conantur; postquam autem id assequi viribus suis nequiverunt, opem Thebanorum efflagitant. Thebani igitur exercitum mittunt, qui Oropum expugnat, post urbem ipsam de loco movent sedemque incolis ad septimum a litore stadium assignant. Et per aliquot abhinc annos Oropiis concedunt ut suis legibus utantur, deinde iura et instituta civitati imponunt, urbemque Boeotiae adsciscunt (2).

In qua narratione, quoniam brevissima est, non omnia plane aperta esse videntur. Quaenam et quales fuerint intestinae discordiae, quae civitatem perturbaverant, non edocemur. Nonnullos Oropios cum Eretriensium optimatibus coiuravisse ut unam duarum

(1) Lys., *C. Philon.*, 9; cf. § 14.
(2) Diod., XIV, XVII, 1-3.

urbium civitatem constituerent, opinatur Preller, qui de iis rebus fidem facere Theopompum arbitratur (1). Equidem, etsi in re subobscura nihil certi affirmare licet, hac interpretatione arbitror dilucidiora fieri quae ulterius evenisse refert Diodorus. Nam causam exsulum suscipiunt Thebani, quos aequum est timuisse ne in hoc Boeotiae latere praepollerent Eretrienses adiectis sibi Oropiorum viribus et opportunissimo portu. Idcirco etiam urbem suam incolis iubent ut interius in terras collocent. Cum enim Athenarum potestas non iam metueretur nec periculum tum quidem esset ut imperium maritimum rursus vindicarent, superest ut urbem Thebani ab Eretriensibus removere voluerint, quorum revera tyranni sedem aliquam firmam in adverso litore occupare saepius aggressi sunt (2). — Ad quod autem usque tempus Oropus a litore remotus fuerit, non comperimus; crediderim, cum in dicionem Atheniensium denuo venisset, in priscam sedem urbem translatam fuisse, nam ipsis Atheniensibus conducebat in hac parte litoris portum obtinere, qua in Euboeam commodius transirent.

Denique asserit Diodorus ipsam rei publicae Oropiae formam Thebanorum iussu fuisse immutatam. De quo non est quod miremur : nam sic et reliquis Boeotiae urbibus leges suas imposuisse Thebanos sci-

(1) Hunc locum Stephanus Byz., s. v. Ὠρωπός, e sexto Theopompi libro ductum esse ait (vid. Preller, *op. laud.*, p. 178). Ita etiam confirmantur quae de prisca Oropiorum et Eretriensium societate exposuimus; vid. supra et part. I, cap. v.

(2) Preller, *ibid.* Qui Leakium confutat (*Northern Greece*, II, p. 446).

mus, quos penes in foedere Boeotico summa auctoritas erat (1). Iam in Peloponnesiaco bello, mox in Corinthiaco, optimatum partes ubique foverant (nam et Thebis penes optimates summa vis erat), et idcirco paci obstiterant, quod facultatem suo iure agendi Boeoticis civitatibus concedere nolebant (2); tantum anno 387 pace facta libertas unicuique data, quam quaedam et armis erogaverant (3).

---

383 (?)-366. — Oropum non multo post ab Atheniensibus receptum fuisse, e duorum scriptorum testimonio, Isocratis altero, altero Diodori, cum de rebus posteriore tempore gestis agit, cognoscimus.

Isocrates quidem in oratione cui *Plataïca* inscribitur, de invidia Thebanorum conqueritur, qui tum propter alias causas Athenis succensebant, tum quia nuper Atheniensium civitati urbs Oropus se ipsa dederat (4). — Cum autem Plataeae a Thebanis iterum anno 373 expugnatae deletaeque fuerint, orationem

(1) Post pugnam ad Coroneam, qua Athenienses e Boeotia pulsi fuerunt.

(2) Xen., *Hellen.*, IV, 8, 15; cf. VI, 3, 9. — Gilbert, *Handbuch der griech. Staatsalt.*, II, p. 49.

(3) Thespiae, Thuc., IV, 133; VI, 95; Orchomenus, Plut., *Lys.*, 28; Xen., IV, 3, 15; Andoc., *De pace*, 20. — De pace Antalcidea, Xen., V, 1, 33 (Gilbert, *ibid.*).

(4) Isocr., *Plataic.*, § 20.

Isocrateam paulo posterius conditam fuisse liquet (1); paucis igitur annis antea res ipsa, de qua mentio fit, referenda est. De aetate nihil certius probari potest: verisimile tamen videtur, annis qui proxime pacem Antalcideam (387) insequuntur, et potissimum anno 383, quo arx Thebana a Lacedaemonio Phoebida capitur, Athenienses Oropo potitos esse, nam his temporibus, foedere Boeotico iam dissoluto, Thebani de potestate sua decedere coacti, quin etiam Lacedaemoniorum imperio subditi sunt: facilius igitur, occasione quam commodissima data, Athenienses amissam urbem, cuius desiderio semper tenebantur, in dicionem redigere potuerunt (2).

Nihilominus tamen, cum omnino Thebanorum vires fractae essent, nec spes illis nisi in externo auxilio maneret, contra Lacedaemonios ad opem Athenarum confugerunt. Popularium partium fautores cum Pelopida anno 383 Atticam petunt, unde adiuti patriam ab hostibus liberant; dein, archonte Nausinico (378) foederi maritimo alteri accedunt; denique bellum commune cum Atheniensibus contra Spartanos gerunt. At postquam inter Spartam et Athenas pax facta est (374), vetera rursus odia Thebanorum erumpunt; simul de Oropo contentio redintegratur (3).

Si Isocratis verbis, quae supra rettulimus, credi-

(1) Blass, *Die att. Beredsamkeit*, II, p. 243; secundum Diodorum, XV, 46, Plataeae anno 374 eversae fuerunt; secundum Pausaniam, IX, 1, 8, anno 373/2; Plataïcam orationem inter 373 et 372 scriptam fuisse plurimi nunc consentiunt.

(2) Preller, *ibid.*, p. 178.

(3) Isocr., *Plataic.*, § 37.

mus, Oropus se sponte sua Atheniensibus tradiderat. Perspicere tamen licet illa quidem tempestate non universos cives consentaneos fuisse, nam plures ex urbe exterminati Eretriam contenderunt (1) : quorum clandestinis consiliis aliquanto postea factum est, ut Oropus in Thebanorum potestatem rursus redierit. Exsulibus enim illis instigantibus et adiuvantibus Themiso et Theodorus Eretrienses tyranni Oropum impetu repentino invadunt (2). Tum vero Athenienses, urbe ex improviso amissa, copias, quae tum in Peloponneso agebant, revocant, et oppidum armis expugnare meditantur (3) ; sed suadente Phocione, Thebanis, quod admirari satis non possumus, arbitris utuntur (4), paciscunturque ut urbem hi detineant, quoad compositio quaedam de re fiat (5) ; Thebani vero, postquam in urbem ingressi sunt (366), decedere nolunt, ereptumque Atheniensibus Oropum obtinent (6). Haec de rebus tum gestis cuncti scriptores tradunt.

366-338. — Tantam iniuriam graviter tulerunt

(1) Diod., XV, 76.

(2) Schol. ad Dem., *Pro Cor.*, § 99; Æschin., *In Ctes.*, § 85; Xen., *Hellen.*, VII, IV, 1. — Hoc anno Polyzelus archon erat : Ol. 103,2. Schol. ad Æschin., *loc. laud.*

(3) Xen., *ibid.*; Diod., XV, 76, 1.

(4) Plut., *Phoc.*, 9.

(5) Xen., *ibid.*; Diod., *ibid.*

(6) Æsch., *loc. laud.*; Diod., *ibid.*

Athenienses ; nec tamen bellum ausi sunt suscipere, ut qui videlicet vires suas impares arbitrarentur ; sed, quod plerumque in civitatibus fieri solet ubi contra spem aliquid accidit, in paucos iram converterunt : Callistratum enim et Chabriam accusaverunt, utpote qui aliquot ante annis auctores fuissent, ut auxiliaretur res publica Thebanis impetum Lacedaemoniorum tum sustinentibus ; ipse Chabrias exercitui dux praeerat, qui eo tempore opem Thebanis tulerat (1). In iudicium igitur ambo vocantur. Quae causa ideo innotuit, quia Demosthenes perhibetur eloquentiae studio primum incaluisse dum orantem Callistratum audiret (2). Rei quidem absoluti sunt ; Oropus autem in dicione Thebanorum satis diu mansit, quanquam postea, bello in Euboea feliciter confecto, Timotheus in tota insula Thebanorum partes afflixit (357) (3).

Neminem profecto fugiet Oropum a Thebanis occupatum fuisse paucis ante annis quam Epaminondas aggressus est et per maritimas civitates urbis suae dominationem diffundere ; id ab anno 363 molitur : navalia conduntur, aedificantur naves, nautae formantur. Classis mox satis valida comparata ut Athenienses submovere queat, quae in Euboïco mari viam intercludere conantur. Inde erumpit Epaminondas in Ægaeum mare, sibi Rhodum, Chium, Byzantium ad-

(1) A. Schaefer, *Demosthenes u. seine Zeit*, 2te Ausg., I, p. 104 et seq.

(2) Schaefer, *ibid.*; Rehdantz, *Vitae Iphicratis, Chabriae, Timothei*, p. 109-114 ; Blass, *Die att. Beredsamkeit*, III¹, p. 11 et seq.

(3) Æschin., *De male gesta leg.*, § 164 ; *In Ctes.*, § 85. Curtius, *Hist. grecque*, trad. franç., V, p. 101-2.

iungit, ubique foedus Atheniensium dissociat et disturbat (1). Ad haec incoepta omnia certe Oropi portus, quo Boeotiae ad mare aditus patebat, plurimi momenti et maximae utilitatis fuit. Sed anno insequente (362) cum in pugna ad Mantineam facta ipse cecidisset, qui bellorum dux et imperii caput exstiterat, Thebanorum res terra marique fractae sunt.

Interim vero urbis amissae cura et desiderio Atheniensium animos constanter sollicitatos fuisse ex ea Demosthenica oratione apparet, quae anno 353 habita nunc *Pro Megalopolitanis* inscribitur. In illa nos aliquantum commorari decet, quae nos plane edoceat, quam necessario de Oropo controversia renovaretur, quotiens in civitate disputatio quaedam de rebus publicis incideret (2).

Res ipsa non simplex, sed cum ceteris iuncta erat, quae tum in Peloponneso gerebantur. — Post proelium ad Mantineam conditum, finitimas gentes, quas Epaminondas imperio Spartanorum subduxerat, sub dicionem hi redigere rursus tentaverunt. Hinc enim Messenii minabantur, nunc liberi facti, hinc Arcades, quondam quidem seiuncti, in praesens vero foedere consociati, cui Megalopolis caput erat. Verum neque hi neque illi propriis viribus Spartam in discrimen adducere valebant, nisi qua civitas externa ipsis

(1) Curtius, *ibid.*, IV, p. 463-465; vide etiam E. von Stern, *Geschichte der spartan. und theban. Hegemonie*, p. 216-225; Kœhler, *Mittheil. Instit. Athen*, II, p. 142 = Dittenberger, *Sylloge*, n° 79.

(2) Cf. Libanii argumentum huic orationi praemissum; Weil, *Les harangues de Démosthène*, éd. II, notice, p. 31-32.

subsidio accederet. Ac primum Thebanis innixi sunt; sed, cum inde ab anno 355 Thebani toti bello, quod Sacrum dicitur, seu Phocensi intenti avertere se cogerentur, Peloponnesii opem Atheniensium impetraverunt : qui cum Messeniis societatem foedere confirmaverunt (1).

Hoc ipso anno Thebanorum vires bello Phocensi labefactae sunt (2). Oblata igitur occasione, Spartani Megalopolitanos colonos disturbare conantur et simul civitatum quam plurimarum societatem contra Thebanos renovare. Consilium id susceperunt, ut Orchomenum, Plataeas, Thespias urbes a Thebanis dirutas restituerent, et Arcadum oppidulis, quae sibi Megalopolis subdiderat, libertatem redderent, reliquis denique civitatibus agri partem quandam adicerent, quam quidem sibi unaquaeque concupisceret, nempe Elidi Triphyliam, quam vindicabant Arcades, Phliunti Tricaranon arcem ab Argivis occupatam, Athenis postremo fines Oropiorum. — Has condiciones Athenas attulerunt Lacedaemoniorum legati; quibus in contione Megalopolitani adversati sunt.

Spartanorum argumentationem ipse Demosthenes explicat (3); cuius ratio ita se in summam habet : Athenienses, si quidem sibi ipsi constare volunt, qui

(1) Hoc pactum memorat Demosthenes, *Pro Megalop.*, § 9 : διὰ τοὺς ὅρκους οὓς ὀμωμόκαμεν τοῖς Μεσσηνίοις. Cf. Pausan., IV, XXVIII, 1-2, qui ibi de belli Phocensis initio agit (Weil).

(2) Ætatem hanc indicat Dionys. Halic. *Ad Amm.*, I, 4; reliqua omnia, quae hic secundum Weilii argumentum exponimus, ex ipsa Demosthenis oratione ducta sunt.

(3) § 19; 27-28.

Arcadas adhuc impugnaverunt, necesse esse etiam tum eorum coeptis obsistere; Thebanorum enim viribus reparatis, ipsos Arcadas ad priscos socios redituros esse; denique non posse Athenienses, nisi Lacedaemoniorum auxilio adiuventur, Oropum reciperare.

Demosthenes autem sententiam in his paucissimis verbis complectitur : « Et Lacedaemonios et Thebanos aeque impotentes esse, hoc demum rei publicae quam maxime interest (1). » Simul igitur Thespias, Orchomenum, Plataeas relevare oportet, quae urbes infestissimae Thebanis sunt, simul Megalopoli et Messenae succurrere, quae lateri Laconiae quasi infixae Lacedaemonios cohibeant (2).

De Oropo autem satis copiose Demosthenes disserit. — Aiunt Spartani, semetipsis abnuentibus, non posse Athenienses eripere urbem Thebanis. Verum, inquit, quo pacto Spartani adversarentur? Nam auxilio nostro freti bellum adversus Thebanos antea gesserunt; quidquid in futurum decreverimus, gratias persolvere pro hoc subsidio debent, aut pessimi hominum videbuntur (3). — Lacedaemonii civitates sibi nonnullas adsciscere nituntur, praeda quadam unicuique oblata, Oropo nobis. Sed qua de causa adeo munifici repente facti sunt? an quia ius cuique suum tribui aequum censent? Haudquaquam : mer-

(1) § 4-5. Eadem ferme sententia occurrit *C. Aristocr.*, § 102 (oratio haec paucis post mensibus habita est).

(2) § 25-26 ; § 30-31.

(3) § 13.

cede hac universam Graeciam adstrictam et illigatam esse volunt, quando ipsi Messeniam invadent (1). Nos vero cur istam emptionem pacisceremur? Et sine ullius Arcadicae urbis damno nobis licet Oropum recipere; favebunt coepto, si iusti sunt; reliqui utique Graeci assentientur, qui iniquum esse existimant, aliena bona Thebanos retinere (2). Ac si denique in eum locum adducti simus, ut aut Oropo potiamur, aut Peloponnesus tota Spartanorum iugo subducatur, Oropi certe iactura facienda sit (3).

Quidnam consilium Athenienses secuti fuerint, non didicimus; certum est tamen, sive ex imperitia, sive ex infirmitate, occasionem eos praetermisisse. Anno autem posteriore (352) bello Phocensi a Philippo Thebani expediti sociis Peloponnesiis opem atque auxilium tulerunt; Oropum autem servaverunt (4).

Quanquam seu viribus impares seu segniores Oropum Athenienses eo tempore invadere non ausi sunt, animo semper eadem urbs obversabatur, cuius saepius in orationibus memoriam Demosthenes redintegrat (5). De hac etiam sermo incidit inter Philippum et Athenienses, cum de pace agi coeptum est : ille enim callidior erat quam ut hac occasione non uteretur Thebanos et Athenienses, accensis odiis, distrahendi. Anno 346 Athenienses ad Philippum le-

(1) § 16.
(2) § 18.
(3) *Ibid.*
(4) Diod., XVI, 39.
(5) *Pro Megalop.*, § 11 et seq. ; *De pace*, § 24. Cf. *De male gesta leg.*, § 220, etc.

gationem illam mittunt, cui Philocrates dux praeerat Et pax Pheris cum rege facta est; de qua posterius legati Athenis in contione rettulerunt. Oratores autem, qui partes Philippi fovebant, expresse significaverunt Euboeam et Oropum, ut pacis pignora, concedi Atheniensibus a Philippo (1). Tanta promissa irrita esse mox compererunt illi, qui, cum Thebanorum dolorem irritassent, ne mercedem quidem oblatam acceperunt.

Elatea postquam capta fuit (339), utraque civitas odia haec, quae implacabilia videbantur, in praesentia deposuit, et omissis iurgiis in commune ambae de periculo imminente consuluerunt. Demosthenes civibus suis persuasit foedus cum Thebanis inire, deinde ipse Thebas se contulit, ubi de societate sancienda egit; cumque utrinque concessa quaedam et remissa essent, uno consensu bellum susceperunt. Nam de Oropo nihil erogaverunt Athenienses, qui Thebanis totius Boeotiae possessionem se conservaturos et defensuros esse polliciti sunt; Thebani contra Phocensium urbes a se deletas iterum restitui non prohibebant (2).

Rursus clade ad Chaeroneam accepta, foedus fractum est, in quod instans periculum civitates natura ipsa diremptas impulerat. Controversiarum enim

(1) Dem., *De male gesta leg.*, § 22. Cf. § 220, § 326. *C. Phil.*, II, 30; *De Pace*, § 10.

(2) Vid. E. Curtius, *Hist. grecque*, trad., V, p. 401-404; Dem., *Pro Cor.*, § 24 et 176; Æschin., *C. Ctes.*, § 142. — Plura vide ap. Schaefer, *Demosthenes*, ed. II, t. II, p. 549 et seq.

causae eaedem manebant, quas quin accenderet non omisit Philippus. Concessit Atheniensibus Oropum, quem non recusaverunt (338/7) (1). Idem igitur, qui tot Chalcidicas colonias illis eripuerat, tum Oropum, Thebanis detractum, eorum scilicet adversus se ipsum in recenti bello sociis, quasi munus largiebatur. Quo accepto, Athenienses rata omnia habebant quae, ipsorum auctoritate deminuta, in Graecia Philippus perfecerat. Hanc pactionem Demades expedierat, qua etiam postea gloriabatur (2).

338-322 — Quindecim vel sexdecim abhinc annorum spatio urbem Athenienses retinuerunt. Cuius ager, vel saltem aliquanta pars eius, populi scito inter decem tribus distribuitur. De illa autem partitione quaedam contentio fit. Nam collem aliquem, tribubus Acamantidi et Hippothoontidi concessum, suum ut sacrum agrum deus Amphiaraus vindicabat. Consulitur ipsius dei oraculum; causa dein Athenis orata est; utque videtur, nihil de partitione mutatum fuit (3).

In hoc temporis intervallo bis etiam Oropi vel Amphiarai mentio in titulis Atticis occurrit.

(1) Pausan., I, xxxiv, 1.

(2) Demad., fragm. ex oratione ductum quae ὑπὲρ τῆς δωδεκαετίας inscribitur : τὸν Ὠρωπὸν ἄνευ πρεσβείας λαβών.

(3) Vide quae de illa causa exposuimus : *L'orateur Lycurgue*, p. 138-141.

In decreto enim populi, quod Lycurgus orator rogavit ad restituendos nonnullos Atheniensium cultus, et simul ad reficienda templorum aeraria (1), et Amphiarai nomen inter multa alia numina memoratur (2). Ætas tituli in primos annos Ol. 113,3 (= 334), ut alio loco demonstravimus, incidit (3). Cum vero lapis undique mutilus sit, non accuratius definiri aut restitui possunt, quae peculiariter de Amphiareio decernebantur. Quoniam autem Amphiaraus ceteris Atticis numinibus annumeratur, apparet inde Athenienses hunc cultum ut proprium publicumque celebravisse : quod certe admirationem neminis movere potest, nam cleruchi in Oropio agro iam antiquitus consederant, rursus nunc partem aliquantam sortiti erant, ideoque aequum est arbitrari eos inde ab initio praesidem urbis huius deum pro suo admisisse (4).

Praeterea in Eleusiniis rationibus Ol. 112,4 (anni 339/8) (5), « Amphiarai ager, » id est, ager quidam

(1) *C. I. A.*, II, 162 ; cf. *add.*

(2) *Ibid.*, fr. *c* et *add.*, 21 : ... καὶ τῷ Ἀμφιαράῳ καὶ τῶ[ι Ἀ]σκληπιῶ[κ]εκ...

(3) *L'orateur Lycurgue*, p. 87. — Cf. quae de hoc titulo disseruimus, p. 82-83, 92-94.

(4) Circa exitum ultimi a. C. saeculi, ephebi Athenienses etiam sacra faciunt Amphiarao, cuius templum tum extra Atticam erat ; *C. I. A.*, II, 471 ; de quo titulo, vid. infra, part. I, cap. IV, in fine. — De loco quem supra citamus, cf. tamen Kœhler, *Hermes*, I, p. 316; *L'orateur Lycurgue*, p. 93, n. 7.

(5) Hoc rationum fragmentum edidit Philios, Ἐφημ. Ἀρχ., 1883, p. 110 et seq., repetiit P. Foucart, *Bull. de corr. hellén.*, VIII, p. 194 et seq.; referendum est ad *C. I. A.*, II, 834 *b* (*addenda*).

sacer, qui Amphiarao adscriptus erat, inter eos refertur, qui primitias frugum (ἐπαρχάς) Eleusiniis numinibus solvere debent; in versibus enim 59-60 fragmenti post *C. I. A.* editi haec leguntur :

Ἐκ τῆς ἐπ' Ἀμφιαράου δήμαρχος Προκλῆς Σουνιεὺς κρι(θῶν) ΔΔ, πυρῶν Γ μέδιμνοι, ἐννέα ἡμιεκτεῖα.

Primitias civium Atheniensium et cleruchorum demarchi Eleusinem afferebant; qui demarchus hoc munere pro Amphiarai agro fungitur e Sunio pago erat; eum igitur verisimile est unum ex illis cleruchis fuisse qui nuper partem soli Oropii nacti erant (1).

Si quidem Pausaniae testimonio fides adhibenda esset, Oropum, ex quo tempore a Philippo acceperunt Athenienses, perpetuo (βεβαίως) in sua potestate usque ad Romana tempora tenuerunt (2). Sed id temere ac falso eum affirmavisse ex consensu liquet tum scriptorum omnium, tum titulorum qui nuper innotuerunt. Quotienscumque enim in documentis trium ultimorum a. C. n. saeculorum de Oropo mentio quaedam occurrit, urbem aut Boeotico foederi alligatam aut sui iuris fuisse apparet, ita ut potius pro certo tenendum sit, sine ulla intermissione per totum hoc tempus extra fines Atticos mansisse.

---

322 — *ad exitum quarti a. C. n. saeculi.* — **Trans-**

(1) Foucart, *loc. cit.*, p. 109; cf. etiam infra, part. II, cap. III.
(2) Pausan., I, XXXIV, I.

acto bello Lamiaco (322) videtur Oropus Atheniensibus ereptus fuisse (1). De qua re scriptor quidem nullus quidquam expresse rettulit, sed id ex coiectura assequimur, rebus illis freti, quae postea gestae sunt (2). Nam anno 319 cum bellum erupit inter Cassandrum et Polyperchontem, illum scimus Atheniensium partes defendisse, qui reciperare Oropum meditabantur, et antequam debellatum est, haec coram sociis pronuntiabat Polyperchon : « ut Athenienses reliqua quidem servarent, quae regnantibus Philippo et Alexandro tenebant; Oropum vero, sicut nunc, Oropii haberent (3). » Nemo igitur dubitabit quin anno 319 Oropus sui iuris fuerit. Quo autem tempore, post annum 328, eripi Atheniensibus potuit, nisi postquam cladem quandam acceperant? Ergo de Lamiaco bello cogitandum est, nam nullum aliud memoratur circa haec tempora, quo profligati sunt.

Anno rursus 313 Cassandrus Oropum capit, cui praesidium imponit (4).

Denique anno insequente 312 Ptolemaeus dux, qui pro Antigono rege bellum gerebat, urbem a Cassandro recipit redditque Boeotis, id est, Boeotico foederi, quod tum Thebani restituebant (5). — In dedicatione etiam foederis Boeotici, quam nuper cum compluri-

(1) Animadvertamus tamen decretum quoddam Atticum *C. I. A.*, II, 188, quod hoc ipso anno conditum fuit (Philocles archon praeest, Ol. 114, 3), Oropi repertum fuisse.

(2) Droysen, *Hist. de l'Hellénisme*, trad., II. p. 75.

(3) Diod., XVIII, 5. — Droysen, *ibid.*, p. 198.

(4) Diod., XIX, 77, 6. — Droysen, *ibid.*, p. 355.

(5) Diod., XIX, 78, 3. — Droysen, *ibid.*, p. 338.

bus iuxta templum Apollinis Ptoi Holleaux effossit (1), occurrit Oropii cuiusdam nomen inter reliquos foederis ἀφεδριατεύοντας (2). Quem titulum probavit Holleaux ad ultimos quarti a. C. saeculi annos referendum esse (3).

Rarior deinde apud scriptores fit de Oropo mentio. — Circa annum 303 philosophum Menedemum Eretriensem accipimus legationi praefuisse ad Demetrium Poliorcetem « de Oropo » missae (4); huius vero legationis ratio in obscuro est (5). — Sub idem fere tempus memoremus Dicaearchum Oropiam invisisse; ex cuius descriptione nonnulla, quae de moribus incolarum tradit, ad nos pervenerunt (6).

(1) *Bull. de corr. hellén*, XIII, p. 3, n. IV, v. 5 : [K]ρατύλλω Ἀμφιδαμίω Ὠρωπίω.

(2) Quales fuerint illi magistratus, qui hoc verbo significantur, parum adhuc liquet. Vid. Holleaux, *ibid.*, p. 19.

(3) *Ibid.*, p. 7-12. — Alius Oropius in collegio ἀφεδριατευόντων, archonte Samia, memoratur *C. I. G.*, 1593; cf. infra append. II.

(4) Diogen. Laert., II, 140-142 : « ὑπὲρ Ὠρωποῦ. »

(5) Idem, *loc. cit.*, tradit paucis post annis, cum exsul patriam liquisset, Menedemum in Amphiareio consedisse, deinde pulsum fuisse, quod sacra vasa quaedam ex aerario sustulisset.

(6) Dicaearch., I, 6-7 (*Geogr. minores*, ed. Didot); de quo loco vide infra, cap. V partis I. In quo lectio συνοικία θητῶν (C. Müller) aptior esse videtur.

CAPUT TERTIUM.

QUID E PROXENICIS DECRETIS AD HISTORIAM TERTII ET SECUNDI A. C. N. SAECULORUM CONFERRI POSSIT.

Ab exeunte quarto a. C. n. saeculo nihil de rebus Oropiorum per centum et quinquaginta circiter annos gestis apud scriptores comperimus; sed abhinc iam decretis proxenicis in Amphiareio repertis adiuvamur, quae fere omnia huic aetati adscribenda sunt. E quibus sane perpauca de vicibus rei publicae discimus; quaedam tamen colligi possunt; id praesertim certissimis indiciis comprobatur longo illo temporis intervallo Oropum urbem primum foederi Boeotico adiunctam, deinde sui iuris fuisse (1).

Ac primum nonnulla exponenda sunt de ratione qua tituli inscripti et dispositi sunt. — Uno excepto (2), omnes in basi statuarum reperiuntur, quarum longus ordo spatium inter theatrum et templum Amphiarai tenebat (3). Qui mos non peculiaris Oropiorum erat;


(1) Cf. Partis prioris cap. v.

(2) Decreto scilicet quo ius proxeniae Cleophonti Chalcidensi datur; sed id quidem a foedere Boeotico latum est; cf. infra.

(3) Vid. Tab. II in extrema parte voluminis.

nam et ab aliis populis usurpabatur, inter quos Tanagraeorum exemplum commemorare sat erit. Nec mirum est : nam ita veterum marmorum spatiis vacuis utebantur, et novis sumptibus parcebant. Inter bases igitur multae huiusce modi titulis quoquoversus repletae sunt.

Unius hic figuram delineare visum est, ut inde perspicuum flat quo ordine diversorum generum tituli inter se implicati sint. In maxima facie (A B C) legi-



tur dedicatio in honorem L. Cornelii Lentuli honorem facta (a a), infra subscriptio artificis Herodori Sthennidis f. Atheniensis (b b) (1) ; proxenica autem decreta in vacuis locis inscripta sunt (p, p, p), quorum

(1) Lœwy, *Inschriften griechisch. Bildhauer*, 112 a.

unum super L. Cornelii nomen occurrit, tria inter nomen idem et artificis interiacent, postremo duo in ima parte incisa sunt. Sic et tria similia decreta facies alia (A B D) exhibet.

Ut quidem primo verisimile videri potest, dedicationes decretis antiquiores esse aliquis arbitrabitur; res vero de paucis tantum ita se habet; nam pleraeque in locum priorum, quae deletae fuerunt, posterius exaratae sunt. Fortasse et statua de loco cedebat, ita ut nova quaedam in basi eadem institueretur; nonnunquam tamen, capite tantummodo ablato, recentius alterum eidem corpori imponebatur; aut etiam nomina sola immutata viros plures, una statua integra permanente, vicissim designabant : quo pacto Oropii minima impensa pro beneficiis acceptis defungebantur. Sic potissimum cunctas dedicationes in Romanorum honorem factas, antiquioribus erasis, inscriptas fuisse apparet, nam illa parte, quam nomina eorum obtinent, lapis aliquatenus excavatus est. Quin etiam nobis accurate considerantibus visum est duo aut tria nomina in vicem exstitisse. Fiebat etiam ut altera dedicatio in diversa facie inscriberetur, duaeque simul in eadem basi cernerentur. — Artificum vero subscriptiones utique incolumes sunt, quippe nulla erat causa, cur delerentur, praesertim quotiens statuae non immutatae fuerant.

Neque inusitatum fuisse apud Graecos morem istum Dionis Chrysostomi testimonium comprobat : qui statua in urbe Corintho honoratus, haud modica miratione affectus est quod, cum rursus per urbem

iter faceret, compererit suum quidem nomen deletum et alterum in locum eius subditum fuisse, ideoque valde de Corinthiis conqueritur (1).

Omnium igitur inscriptionum, quas in unaquaque basi offendimus, antiquissima utique artificis subscriptio est; sequuntur tituli proxenorum, qui diversae aetatis esse possunt. Quotiens igitur tempus certum subscriptionibus assignare licet, recentiori certe aetati adscribenda sunt decreta proxenorum (2). Novissimae autem plerumque dedicationes sunt.

Communi Graecorum sermone universa decreta conscripta sunt (3); dialectum autem peculiarem altera parte tertii a. C. n. saeculi apud Boeotos obsolevisse, iam compertum est; sed quoniam parum probabile videtur, Oropios hac dialecto unquam usos fuisse, nihil inde certi de aetate titulorum inferri potest (4). — Scripturae vero specie et forma non-

(1) Or. XXXVII, § 40 et passim. — Cf. Or. XXXI, cuius argumentum totum de eadem re est; § 9.

(2) Vid. in fine disceptationis Appendicem V (indicem artificum). Quarum vetustissimae circa medium quartum a. C. n. saeculum reponendae sunt.

(3) Duobus titulis exceptis, quorum alter decretum proxenicum est, foederi Boeotorum tribuendum (ineditum). Huic praescribuntur verba: Χαροπίνω ἄρχοντος μεινὸς Πανάμω ἐπεψάφιδδε Διδύμμων Ἐπαρμόσστω Ὀποέντιος... (Proxenus Cleophon Chalcidensis). Alteri titulo haec praesunt : Φιλοξένω ἄρχοντος, μεινὸς Πανάμω... Ὀλουμπίων Ἀρχελαΐδαο Ταναγρῆος ἔλεξε. Philoxenos archon communis Boeotorum intra annos 223-197 erat.

(4) De aetate, qua desierint Boeotiae singulae urbes dialecto in inscriptionibus uti, vid. S. Reinach, *Traité d'épigraphie*, p. 291, n. 1. — In Oropiis autem titulis non modo communis lingua usurpatur, sed etiam nonnulli στοιχηδὸν inscripti sunt, cuius scripturae generis

nihil in hoc ipso inquirendo adiuvamur, etiamsi talibus indiciis nimia fides non est tribuenda. Nam tertium vel sequentia saecula litterarum genus manifesto testatur. Praeterea quotiens in basi decretum quoddam potest certis annis referri, iuxtaque alia simillimis litteris inscripta sunt, non errabit aliquis aetati proximae titulos omnes illos adscribens.

Verum ex nominum propriorum comparatione praecipuum capiemus fructum. Quorum genera plura sunt. Nam in hanc fere rationem tituli illi proxenici (ut de amplissimis loquamur) dispositi sunt :

1° Occurrit primum nomen archontis communis Boeotorum;

2° sequitur nomen archontis urbis Oropi;

3° deinde nomen sacerdotis Amphiarai;

4° memoratur mensis quo decretum latum fuit;

5° perraro fit ut nomen occurrat eius qui contioni praefuit (ἐπεψήφιζεν);

6° proximum sequitur nomen illius qui rem ad populum tulit;

7° postremum eius cui ius proxeniae conceditur : hinc iam ipsum decretum exordium sumit.

Paulo plus septuaginta decreta cognovimus (1). In

exempla extra Atticam et Atticas colonias rara admodum sunt. Cf. etiam partis I cap. v.

(1) Primum decretum editum est in *C. I. G.*, 1566 = Newton, *Greek Inscr. of the Brit. museum*, vol. I, n° CLXI.

Pauca dederunt simul Newton, *Transact. of the roy. soc. of Literat.*, 2ᵈ series, t. V, p. 109 et seq., 276 et seq. — Rhangabé, *Antiq. hellén.*, vol. II, nᵒˢ 678-687. — Pittakis, Ἐφ. ἀρχ., 1853, 1310-1315.

Maxima pars decretorum nuper reperta sunt, quorum vix aliquot

eorum praescriptis ea indicia, quae notavimus, non semper omnia simul occurrunt. Nam quibusdam decretis etiam nihil aliud praeest quam rogatoris nomen. Hoc fit praecipue in continua decretorum serie, cum praescriptum priori commune sit cum sequentibus; verum etiam singularia quaedam praescripto omnino carent.

Plurimis solum sacerdotis Amphiarai nomen praeest. Cuius nomen utique in praescriptis, quotiens alia indicia produntur, memoratur.

Archontis communis Boeotorum saepissime nomen ut eponymi, et id quidem ante reliqua nomina, praescribitur; multo rarius (in duodecim fere titulis) archontis Oropii huic adiunctum est. Neque unquam, duobus decretis exceptis, hic quidem solus eponymus refertur. Quae duo decreta, in eadem basi inscripta, sic incipiunt :

Ἄρχοντος Ἤδωνος, ἱερέως δὲ τοῦ Ἀμφιαράου Ἑρμοδώρου...
Ἄρχοντος Νικοβίου, ἱερέως δὲ τοῦ Ἀμφιαράου Τιμάρχου... (1).

Haec decreta a civitate Oropiorum, non a foedere Boeotico, lata sunt (2). Archontes igitur illi Oropii

publici iuris fecit adhuc Leonardos (Ἐφ. ἀρχ., 1885, p. 103, 107, 115; 1886, p. 59, 62, 67, 71).

Sexdecim igitur edita sunt, fere sexaginta inedita.

(1) Ambo inedita.

(2) Nam primum rogatoris nomini ethnicum non adicitur (Ὠρώπιος, Ταναγρῆος, Ὀποέντιος...) ut fit in decretis a foedere conditis : haec igitur certe a populo Oropio acta sunt. Praeterea quotiens de archontibus foederis agitur, certis id ex indiciis cognoscimus (ἄρχων Βοιω-

sunt, non Boeoti. Qua autem de causa communes Boeotorum archontes hic non memorentur, facile coiectura assequimur : nam hoc tempore foedus a Romanis dissolutum fuisse probabile est, praesertim cum aetatem titulorum (quae eadem utriusque est) satis recentem litterarum forma ostendat (1).

Maximi imprimis pretii sunt nomina foederis archontum quae in his titulis deprehendimus : nam illa fere unica documenta praesto sunt, quibus ad rationem temporum quodam modo constituendam uti licet. — Primum igitur ante omnia necesse est archontum catalogum hic proferre, quorum nomina in titulis Oropiis apparuerunt. Horum autem quindecim nomina sunt, nonnulla etiam in pluribus occurrentia :

1. Ἀναξίμβροτος (ined.);
2. Ἀπολλόδωρος (Ἐφ. Ἀρχ., 1886, p. 67);
3. Ἀριστόμαχος (ined.);

τοῖς, — ἐν κοινῷ Βοιωτῶν, — ἐν Ὀγχηστῷ occurrunt). — Memoremus etiam in his titulis conscriptionis genera haec nova apparere :

Σωσθένης Εὐθυδήμου εἶπεν προβεβουλευμένον εἶναι αὐτῷ πρός τε τὸ συνέδριον καὶ τὸν δῆμον...

Ζώπυρος Διονυσίου εἶπεν · δεδόχθαι τοῖς τε ἄρχουσι καὶ τοῖς συνέδροις (cf. infra, part. I, cap. v).

(1) Litterae ornatae, crassae, parum accurate descriptae sunt. — Etiam titulis agonisticis duobus Romanae aetatis (Kumanudes, Ἐφ. Ἀρχ., 1884, p. 121, nº 2 et 3) et decreto de argenteis vasis lato (inedito; vid. part. II, cap. III) sola archontis Oropii et sacerdotis nomina praesunt.

4. Διονύσιος (ter : ined.);
5. Εὔεργος (bis : ined.);
6. Θεότιμος (bis : ined.);
7. Ἵππαρχος (bis : Rhang., 679 = Pitt., 1311; — semel ined.);
8. Καφισίας (ined.);
9. Νίκων (ined.);
10. Ποτίδαιχος (ined.);
11. Στράτων (quater : *C. I. G.*, 1570, — Pitt., 1314; — bis ined.);
12. Φιλόξενος (bis : ined.);
13. Φίλων (bis : Ἐφ. Ἀρχ., 1886, p. 67);
14. Χαρίδαμος (ined.);
15. Χαροπῖνος (sup. p. 50, n. 3).

E plurimis urbibus foederi Boeotico adiunctis tituli supersunt, ad peculiares civitatis res pertinentes, in quorum praescriptis inest communis Boeoti archontis nomen (1).

Inter hos archontes autem, quos in Oropiis decretis offendimus, quinque non alibi occurrunt : Anaximbrotos, Euergos, Nicon, Straton, Charidamos.

Hyetti occurrunt Apollodoros, Aristomachos, Dionysios, Hipparchos, Caphisias, Potidaichos, Philoxenos, Philon, Theotimos (2); quorum etiam Ægosthene

(1) De nomine magistratus vid. Foucart, *Bull. de corr. hellén.*, IV, p 83-84 (Gilbert, *Handb. der griech. Staatsalt.*, II, p. 53, n. 3); archontem ἐν Ὀγχηστῷ communem esse Boeotorum, iam de sex archontibus probatum est (vid. quae colleginius in *Bull. de corr. hellén.*, IX, p. 319).

(2) P. Girard, *Bull. de corr. hellén.*, II, p. 493 et seq., Kumanudis,

Caphisias et Theotimos (1), Megaris Potidaichos (2), in Lebadeensi titulo Charopinos (3).

Illi autem archontes, quos Ægosthenis et Megarorum tituli exhibent, Theotimos et Caphisias et Potidaichos, iam nunc certae aetati attribui possunt, cum constet has urbes inter annos 223 et 197 tantummodo foederi Boeotico adiunctas fuisse (4).

Iidem tres Boeotorum archontes in catalogis militum Hyetti reperiuntur. Omnes autem hi catalogi, quibus praesunt archontes Boeoti de quibus nuper mentio facta est, circa eadem tempora conditi sunt; non modo enim scriptura et tota conscriptio simillimae sunt, verum in plurimis etiam magistratuum, et praecipue polemarchorum, eadem occurrunt nomina. Itaque extremis tertii a. C. n. saeculi annis aut primis alterius assignandi sunt praeter tres illos, quos memoravimus, etiam sex alii Boeotorum archontes : Apollodoros, Aristomachos, Dionysios, Hipparchos, Philoxenos, Philon (5).

Quae temporum definitio Oropiis nunc titulis comprobatur : quibus enim praesunt novem illi archontes, scriptura inter se maxime congruunt. Argumento etiam alia indicia accedunt : nam, ut exemplo uno

Ἀθήν., I, p. 490 et seq. = Larfeld, 144 et seq. Ceterum illos Boeotorum archontes omitto, qui in Oropiis titulis non reperiuntur.

(1) Le Bas et Foucart, *Inscr. du Péloponn.*, n°° 3, 11.

(2) *Ibid.*, 34 a.

(3) Le Bas, *Inscript. de la Grèce du Nord*, n° 765 *b* = Larfeld, 68.

(4) Foucart, *Inscr. du Pélop.*, comment., p. 19, col. 2. Gilbert, *Handb. der griech. Staatsalt.*, II, p. 52. Larfeld, *Sylloge*, p. VIII.

(5) Cf. supra et Larfeld, *Sylloge*, p. 84.

utar, in tribus decretis, quibus praescribuntur Apollodoros, Aristomachos, Potidaichos, apparet Oropodori cuiusdam nomen bis ut rogatoris, semel ut sacerdotis : id nomen cum perrarum sit, licet opinari eundem virum hoc significari (1).

Similibus de causis plerosque aliorum archontum, quos soli Oropii tituli prodiderunt, proximae aetati referendos esse censuerim.

In una enim basi continuam quattuor decretorum seriem deprehendimus, quibus archontes Boeotorum hoc ordine praemissi sunt : Nicon, Dionysios, Straton, Aristomachos. Ex illis Dionysii et Aristomachi aetatem, ut supra dictum est, iam ex Hyetti inscriptionibus cognoscimus. Straton autem medius inter ambos inseritur; ex quo eorum aequalis fuisse apparet. Neque multum abesse crediderim annum quo Nicon archons fuit, quippe qui artissime in lapide cum his tribus cohaereat; adde quod huius decreti, cui Nicon praescribitur, rogator fuit ille Oropodoros, qui quasi testis aetatis exsistit.

Reliquos archontes, etiamsi indiciis certissimis inniti non possum, opinor illis proximos fuisse. — Euergos et Charidamos paucis inter se annis distant, nam hic quidem in titulo inest qui in basi quadam inter duos medius collocatus est Euergi nomen exhibentes; praeterea haec tria decreta idem vir rogavit Polynicos Pandari f. Uterque autem et una Anaxim-

(1) Idem etiam in alio decreto occurrit (cf. infra); bis etiam patrium nomen (Theozotos) adiectum est.

brotos, si e litterarum specie iudicandum est, circa idem tempus, quo praedicti archontes, magistratu functi esse videntur.

Charopinos denique, iam ex inscriptione Lebadeensi notus, fortasse in paulo vetustiorem aetatem incidit.

Oropiorum quoque archontum nomina, quae tradunt tituli, hic subiciam; in dextera columna archontes Boeotos colloco, quos comperimus eodem anno magistratus fuisse :

Ἑρμόδωρος (bis)	Ἵππαρχος
Θεότιμος	(nomen deletum)
Μητρόδωρος	Ἀναξίμβροτος
Νικοκλῆς (ter)	Διονύσιος
Παυσανίας	Ἀπολλόδωρος
Πολυκράτης (bis)	Θεότιμος

Tres etiam Oropii archontes, ut supra dixi, in praescriptis primi, nec post Boeotorum archontes, occurrunt :

Ἥδων

Νικόβιος

Λύσανδρος (in decreto de vasis argenteis lato)

De horum aetate nihil habeo quod accuratius dicam.

Postremo Oropii archontes duo, qui certaminum catalogis praesunt, ad aetatem Romanam certe refe-

rendi sunt, cum in his titulis Ῥομαῖα commemorentur :

Φιλιστίδας (Kumanudis, Ἐφ. ἀρχ., 1884, p. 121, nº 2).
Λυσιμένης Φιλίππου (Ibid., nº 3) (1).

De privilegiis quae proxeni accipiunt, pauca verba facienda sunt, quoniam similia aut eadem in reliquis etiam huiuscemodi documentis reperiuntur (2). Ab Oropiis autem plerumque haec iura conceduntur :

1° Ut nomen ipsum proxeni retineat : πρόξενον εἶναι καὶ εὐεργέτην ;

2° Ut iure terramque et domum possidendi utatur : γῆς καὶ οἰκίας ἔγκτησις ;

3° Ut vectigalia aequato cum civibus iure persolvat : ἰσοτέλεια ;

4° Ut salva sint et persona et bona eius terra marique et belli domique : ἀσφάλεια καὶ ἀσυλία καὶ κατὰ γῆν καὶ κατὰ θάλατταν καὶ πολέμου ὄντος καὶ εἰρήνης.

Quibus privilegiis alia quaedam adici solent verba haec vel talia : καὶ τἆλλα πάντα ὑπάρχειν αὐτῷ, καθάπερ καὶ τοῖς ἄλλοις προξένοις καὶ εὐεργέταις τῆς πόλεως γέγραπται.

Omnia haec decreta ad id demonstrandum potissimum prosunt, Oropum in altera tertii saeculi

(1) Sacerdotum, rogatorum proxenorumque indices vid. infra in Appendicibus.

(2) Cf. Monceaux, *Les proxénies grecques*, p. 167 et seq.

parte et in primis certe alterius annis cum reliquis foederis Boeotici urbibus consociatum, mox sui iuris fuisse. Inter quae paucissima tantum collegimus quae peculiariter memoratu digna essent. De his nunc dicendum est.

Unum ex iis decretis, quoniam ineditum est, integrum transcribimus, collatis apographo et eclypo :

Ἄρχοντος ἐν κοινῶι Βοιωτῶν Διονυσίου, ἐπὶ δὲ πό[λεως
Νικοκλέ]ους, ἱερέως δὲ τοῦ Ἀμφιαράου Δημοκράτου τοῦ δε-
υτέρου? Ὑ]μναῖος Νικανδρίδου εἶπεν προβεβουλευμένον αὐ-
τῶι εἶ]ναι πρὸς τὸν δῆμον· ἐπειδὴ Φορμίων ὁ Βυζάντιος φίλ-
ος ὢν] τοῦ βασιλέως Πτολεμ[α]ίου καὶ λέγων καὶ πράττων
δίατελε]ῖ τὰ συμφέροντα τῶι δήμωι καὶ καθ' ἰδίαν ἀεὶ τῶ[ι
τῶν πολιτῶν χρεῖ]αν ἔχοντι τὴν πᾶσαν σπουδὴν ποιεῖται,
καὶ οὐ] μόνον ἐν τῆι ἰδίαι ὢν εὔνουν ἑαυτὸν παρείχετο τῶ[ι
δήμωι], ἀλλὰ καὶ νῦν παρὰ τῶι βασιλεῖ Πτολεμαίωι πολλ-
οὺς] συμφέροντας λόγους ποιεῖται ὑπὲρ τῆς πόλεω[ς·
ἵνα] οὖν καὶ ὁ δῆμος φαίνηται τὴν πᾶσαν ἐπιμέλει-
αν ποιούμεν]ος τῶν εὐεργετούντων ἑαυτόν· δεδόχθα[ι
τῆι βουλ]ῆι καὶ τῶι δήμωι Φορμίωνα Νυμφαίου Βυ[ζ-
άντιον] πρόξενον εἶναι καὶ εὐεργέτην, κ. τ. λ.

In versu 2 archontis Oropii nomen Nicoclis restituimus, collato alio titulo (inedito) in quo idem iuxta Dionysium Boeotorum archontem occurrit. Ro-

gatoris nomen Ὑ]μναῖος fuisse videtur, cum pluribus litteris spatium non relinquatur si restitutio τοῦ δε[υτέρου] probanda est. — Ultimos versus non exscripsimus, cum titulus hac parte valde mutilus sit nec alia exstitisse videantur, quam quae in fine reliquorum decretorum usurpata sunt.

Huius documenti aetas propter Dionysii nomen in ultimos saeculi tertii annos incidit, quod supra monuimus. Inde inferre licet Ægypti regem, de quo agitur, Ptolemaeum IV Philopatorem esse, qui ab anno 222 ad 205 regnavit. Et re ipsa ex Polybio comperimus illa tempestate Ptolemaeum sese rebus Graeciae immiscuisse. Nam anno 217 tradit is scriptor, postquam Philippus V Macedonum rex in bello cum Ætolorum foedere conserto sibi Boeotiam, Phocidem, Acarnaniam et Messeniam adscivisset, a pluribus Graecis civitatibus, Chio scilicet et Rhodo et Byzantio, denique ab ipso Ptolemaeo legatos ad Philippum missos fuisse, ut veniam devictis impetrarent et regem ad pacem impellerent (1). Inter eos igitur, qui Philippum deprecantur, Byzantini et Ptolemaeus a Polybio referuntur; quapropter non est mirandum, quod ab Oropiis Byzantius ille Phormio, Nymphaei filius, collaudatur, qui cum in aulam Ptolemaei frequentaret, benevolentiam regis in Graecos stimulaverit. Itaque titulus iste mire cum rebus a Polybio

(1) Polyb., V, 100 (9). Iam antea enim legatio ad Philippum accesserat, quam Chios et Rhodus miserant. — De hoc bello vid. Freeman, *History of federal government*, I, p. 552-554; Dubois, *Les ligues étolienne et achéenne*, p. 36 et seq.

narratis congruit; ex quo constat etiam Oropios his bellis fuisse conturbatos, sed plura dinoscere non licet.

Expediet hic obiter titulum Delphicum referre, qui ad temporum rationem constituendam et ipse quodammodo prodest. Catalogus proxenorum Delphicae civitatis est ex iis quos Wescher et Foucart ediderunt (1). Proxenus in eo inscriptus est Oropius quidam Κλέων Φιλιστίδα. Titulo autem praeest Delphorum archon Πεισίλας, cuius magistratus annum 187 fuisse scimus (2). Et hoc igitur anno Oropum nulli externae civitati emancipatum fuisse ethnicum *Oropius* manifesto declarat.

Superest ut de duobus decretis mentionem faciamus, quod utrumque aetati paulo recentiori adscribendum est.

Alterum nuperrime edidit G. Fougères (3). In quo Amphicles quidam Philoclis f. Delius propter car-

(1) *Inscr. recueillies à Delphes*, n° 18 (p. 25), l. 155 et seq.

(2) Vid. disceptationem A. Mommsenii, quam excerpsit e *Philologus*, t. XXIV, p. 1 et seq.

(3) *Bull. de corr. hellén.*, XIII, p. 248.

mina condita et in publicum recitata ab Oropiis laudibus et iure proxenico condonatur (ἐπιδημήσας παρ' ἡμῖν ἀκροάσεις πεπόηται). Idem Amphicles iam notus est ex decreto quodam Deliaco, quod a cleruchis Atheniensibus latum est, cuiusque maximam partem ediderat Homolle (1); nunc decretum integrum exhibuit Fougères (2). Propter id Amphicles musicus et poeta ab Atheniensibus laudatur, quod carmina nonnulla condidit et recitavit, praecipue autem quod deos insulae praesides et Athenienses celebravit, docuit denique pueros carmen ad lyram canere (3).

Decretum Deliacum anno tribuendum est, quo Pelops Athenis archon fuit, cuius nomen in primo versu legitur. Quotus is annus sit, in incerto : certe anno 161 posterior est, nam anno 166 Athenienses Delum reciperaverunt, Atheniensium autem archontum nomina a 169 ad 161 cognoscimus (4).

Animadvertendum est poetam illum Amphiclem, Philoxeni filium, de quo agitur, in titulo Deliaco ut Ῥηναέα occurrere (5), ut Δήλιον in Oropio (6). Athenienses quippe constat, postquam altero a. C. n. saeculo Delum insulam recepissent, incolas cunctos abegisse, ita ut gens ipsa Deliorum dissiparetur et aboleretur : quamobrem nunquam abhinc *Delius*

(1) *Bull. de corr. hellén.*, X, p. 36.
(2) *Ibid.*, XIII, p. 244.
(3) Vers. 5 et seq.
(4) *Bull.*, X. p. 7.
(5) *Ibid.*, XIII, p. 244, vers. 26.
(6) P. 248, vers. 2.

ethnicum in actis publicis Atheniensium usurpatum est; paucis incolarum, qui in patria remanserant, *Rhenaenses* nomen impositum. — In Oropio vero titulo adhuc *Delius* pro ethnico servatur, seu quia paulo vetustior est anno 166, seu quia illa lege, quam de Deliis sanxerant Athenienses, sese Oropii obstringendos esse negabant (1).

Decretum denique quod Oropii pro Hierone, Teleclis filio, Ægirate tulerunt, hic commemorandum est (2).

Sensus inscriptionis hic est : Hiero Teleclis filius ex Ægira, qui iam antea benevolum se erga Oropios praestiterat, novissime peculiare beneficium in eos contulit. Nam cum calamitates gravissimas, foederum etiam fide infracta, civitas perpessa esset, magistratus et cives quidam Oropiorum in conventum Corinthi adierunt, in qua urbe subsidia ab Hierone acceperunt; is praeterea Achaeos hortatus est ut ipsis curae essent et Amphiarai templum et Oropus, qui in amicitia populi Romani permansisset. Ulterius etiam concilium Achaei de eadem re agenda Argos convocant. Iterum ibi legatos Oropios in domum excipit et

(1) Proxime sequimur quae Fougeres exposuit, *ibid.*, XIII, 248 et seq.

(2) Edidit B. Leonardos, Ἐφ. Ἀρχ., 1885, p. 98-100; iterum dedit B. Latyschev, nonnullis emendatis, *Bull. de corr. hellén.*, X, p. 458.

Iovi Servatori sacrificat, deinde in contione contra Athenienses et alios adversarios verba facit et monet Achaeos ne in servitutem redigi urbem Graecam patiantur. Huius ope igitur civitas Oropiorum servata est, et in urbem suam qui exsulaverunt cum liberis et uxoribus redierunt. — Tanti beneficii memores decernunt nunc ut aereum signum Hieroni collocetur, qui honos a praecone in Amphararaorum sollemnibus publice pronuntiandus est.

Huius Hieronis pater Telecles is videtur fuisse, quem memorat Polybius legationem Romae peregisse (1). — Ex inscriptione nostra coiciendum est hoc loco verbum *Ægirates* pro *Ægeates* restituendum esse. Ægira autem urbs in ora septentrionali Peloponnesi sita est inter Ægium et Sicyonem.

Nunc de ipsis rebus nonnulla adicienda sunt, de quibus titulus noster agit.

Achaïcum foedus anno 146 dissolverunt Romani, quo Corinthum everterunt et vastaverunt. Hac igitur aetate paulo vetustius decretum est. Res autem paucis ante annis gestas tradit Pausanias, quae cum hoc documento mirum in modum congruunt. Narratio enim Pausaniae ita ferme se habet (2) :

Athenienses cum in extremas miserias e bellis concidissent, anno 156 in Oropiam irruunt urbemque compilant. De his iniuriis ad senatum Romanum con-

(1) Polyb., XXXIII, 1, 3 et seq.; cf. XXXII, 7, 14.

(2) Pausan., VII, cap. XI et XII. — Vid. Freeman, *Hist. of federal governm.*, I, p. 687 et seq., qui has res gestas fuisse opinatur inter annos 156 et 150.

querentes confugiunt Oropii; is, re comperta, diiudicandam Sicyoniorum arbitris tradit, ut de damno Oropiis praestando statuant. Vadimonium obire morantur Athenienses; quapropter quingentorum talentorum multa damnantur. De hac poena ipsi tum Athenienses ad senatum Romanum appellant, cuius decreto multa rursus ad centum talenta redigitur.

Hanc ipsam pecuniam solvere intermittunt Athenienses. Sed promissis et donis Oropios circumveniunt eoque adducunt, ut secum pactionem faciant; in qua condiciones hae statuuntur nostra quidem sententia valde mirandae : conceditur Atheniensibus ius praesidium Oropi collocandi; ipsis autem dabunt obsides Oropii, correctione tamen una adhibita, ut, si quid rursus in civitatem admitterent Athenienses, praesidium revocarent obsidesque redderent (1).

Nec multo post de hoc praesidio Oropii querelam faciunt, postulantque ab Atheniensibus ut revocent milites, a quibus novas iniurias acceperunt. Hi autem nolunt huic petitioni obsequi : culpam enim quorundam militum esse, non civitatis Atheniensium, et mox nocentes se castigaturos esse, respondent. Rursus denique ad externam opem confugiunt Oropii orantque Achaeorum foedus ut sibi auxilium adversus invisam dominationem praestet. Orantium vero preces Achaei primum repudiant, qui in societate et amicitia sint Atheniensium. Tum Oropii Lacedaemonium Menalcidam, Achaeorum praetorem, pecunia

(1) Pausan., VII, xi, 2.

sollicitant et decem talentis promissis perpellunt, ut urbis tutelam suscipiat partesque in conventu defendat. Is pecuniam acceptam pollicetur se cum Menecrate divisurum esse, qui propter Romanorum amicitiam plurimum auctoritatis apud civitates foederatas habebat, postea etiam praetor Achaeorum fuit. Et revera amborum consilium in contione valuit, decretumque fuit ut foederati contra Athenienses Oropiis auxiliarentur. Athenienses vero, ubi consultum hoc compererunt, statim ab Oropo praesidium deducunt; nec prius tamen quam agrum urbis ultimum vastaverunt. Menalcidas quidem et Menecrates censebant nihilominus esse in Atticos fines irrumpendum; sed non vicit eorum sententia; quapropter Achaeorum exercitus retro revertit.

Quanquam Hiero in hoc Pausaniae loco nusquam occurrit, nemo tamen infitiabitur illum his ipsis rebus interfuisse, quas tam copiose scriptor is narrat. Pausaniam enim verba tituli nostri plane confirmant et explent, ita ut ex Oropiae rei publicae temporibus nullum videam, cui magis accommodata esse queant. Nam ille quidem Menalcidam et Menecratem consilii auctores fuisse tradit, quo Achaïcum foedus Atheniensium vim et expilationem cohibuerat; e decreto autem docemur de hac re peculiariter in Argis urbe conventum factum fuisse, in quo Hiero Ægirates Oropiorum causam egit omniumque animos partibus eorum conciliavit. Virorum igitur nomina alia memorat Pausanias, aliud prodit titulus; quos omnes simul adiutores fuisse Oropiorum facile intellegimus.

Reliqua certe inter se quam aptissime concinunt.

Unum est tamen, in quo haerere possint, qui Pausaniae locum perlegunt: ait enim Oropum subiectum fuisse Atheniensibus cum vim illam pertulit (1). Sed id quidem non est quod miremur : nam idem asseverat, ut supra memoravimus (2), Oropum sine ulla intermissione (βεβαίως) iam a Philippi temporibus in dicione fuisse Atheniensium; in quo valde eum scriptorem erravisse, omnes tituli, omnia documenta, quae attulimus, abundanter demonstraverunt. Consentaneum est igitur, ut item erraverit de illis annis, quibus gesta haec fuisse refert. Verum tum e decreto tum ex ipsius verbis liquet hoc tempore urbem Oropum fuisse liberam. Nam ex improviso illam aggrediuntur Athenienses : qui fieri posset, ut suum ipsi agrum vastarent? Praeterea Romam legatos mittit, ut cui dominatio aliena immineat; et cum Atheniensibus pactionem facit, condicionesque dat et accipit; deinde auxilium a foedere Achaïco efflagitat, ut sibi iura sua in integro restituantur; postremo, depulso externo exercitu, decretum condit (3), quo adiutori et patrono suo Hieroni signum aereum tribuit : quae cuncta liberae sunt civitatis.

(1) *Loc. cit.*, init., § 2. De quo errore disseruit von Wilamowitz (*Hermes*, XXI, p. 101), qui suspicatur narrationem Pausaniae ex duobus scriptoribus contaminatam fuisse.

(2) Cap. II, p. 44.

(3) Vid. v. 30 : δεδόχθαι τῷ δήμῳ Ὠρωπίων.

CAPUT QUARTUM.

ROMANA TEMPORA.

Post eas res, quas rettulimus, per septuaginta fere annos de Oropo nihil sive e scriptoribus sive e titulis discimus. Bello Mithridatico rursus mentio urbis incidit, in senatusconsulto scilicet quodam, quod in Amphiareio nuper inventum est. Quod documentum edidit S. Basis et in latinam linguam transtulit (1), iterum etiam expressit Th. Mommsen et nonnullis commentariis instruxit (2).

Cum Athenas obsidebat L. Cornelius Sulla anno 87-86, ditissima aeraria trium Graecorum fanorum compilari iussit, Iovis scilicet Olympii et Apollinis Delphici et Æsculapii Epidaurii; captis postea Athenis (86) et debellatis ad Chaeroneam hostibus, damna spoliatorum numinum supplevit, cum Thebani agri fructuum dimidiam partem templis eorum addixis-

(1) Ἐφ. Ἀρχ., 1884, p. 100 et seq.; cf. quae idem adiecit ibid., 1886, p. 41 et seq.

(2) *Hermes*, XX, p. 268 et seq. : *Der Rechtstreit zwischen Oropos und den Römischen Steuerpächtern*; hanc commentationem et translationem potissimum sequimur.

set (1). Ex senatus consulto nunc comperimus Amphiareio Oropio condonationem eiusdem modi fuisse factam. Nam voti solvendi gratia, quod scilicet ineunte bello nuncupaverat, ut numini pro parta sibi et Romano imperio victoria gratias ageret, « fano Amphiarai agrum tribuit undequaque pedum M, qui ager sacer esset (2). » Simul deo Amphiarao consecravit « urbis et agri et portuum Oropiorum reditus omnes in ludos et sacrificia, quae Oropii deo Amphiarao faciunt, item quae posthac ob victoriam imperiumque populi Romani facient (3). » Re quidem vera agonistici tituli nuper in lucem editi comprobant votum ducis persolutum fuisse : nam post Sullanam victoriam sollemnia nova, quibus Ῥωμαῖα nomen est, in inscriptionibus iuxta Ἀμφιάραα apparent (4).

Cum igitur reliqui stipendiarii et tributarii agri vectigalia Romanis solverent, Oropi urbis reditus omnes templo et ludis adscribebantur et de pecuniis deducendi erant, quas Achaia provincia conferre debebat. — Immunitas uni Hermodoro, Olympichi filio, Amphiarai sacerdoti, concessa, qui, cum fundi

(1) Plut., *Sull.*, 12, 19; Diod., XXXVIII, 7; Appian., *Mithr.*, 54; Pausan., IX, 7.

(2) Vers. 44-45. — Confert Th. Mommsen consecrationem quam Sulla Dianae fecit post victoriam ad Capuam partam, Vell., II, 25; *C. I. L.*, X, 3828.

(3) Vers. 46-49.

(4) Ἐφ. Ἀρχ., 1884, p. 124, n° 2, v. 2-3. *Ibid.*, p. 126, n° 3, v. 4-6. In alio etiam titulo victor fuit vir quidam certaminis quod nuncupatur : εὐαγγέλια τῆς Ῥω[μαίων νίκης]; *ibid.*, p. 123, n° 1, v. 68-69. — Commemorat Mommsen et Romae *ludos Victoriae Sullanae* publice fuisse celebratos.

cuiusdam possessione frueretur, omni vectigali liberatus fuit, « quippe qui perpetuo in amicitia populi Romani mansisset (1). »

Quam consecrationem a L. Cornelio Sulla factam postea senatus Romanus ratam habuit confirmavitque anno 80 (ab U. C. 674) cum ceteris quas diis immortalibus idem imperator concesserat (2).

Pro hoc beneficio accepto, Oropii statuam Sullae collocaverunt, cuius basis adhuc servata dedicationes duas exhibet, alteram in ipsius, alteram in Metellae Caeciliae honorem compositam (3).

De his consecrationibus contentio quaedam inter Oropum urbem et publicanos orta est. Vectigalia enim quae ab agris vectigalibus exigebantur locabant vel quaestorum vel publicanorum societates, hoc pacto ut per quinquennium iure uterentur publicas pecunias erogandi; quae pactio lege censoria (s. locationis) sancita erat, qua iura et officia publicanorum definiebantur. In locationis autem lege de Achaia provincia lata vectigalibus excipiebantur agri quos diis immortalibus consecravissent seu senatus consulta seu Romani imperatores, et peculiariter agri illi quos Sulla dedicaverat, dummodo huius edicta senatus rata haberet et posterius non irrita fecisset (4).

(1) Vers. 50-51. Immunitatem hanc videtur iam iure paterno nactus fuisse, nunc propter benevolentiam erga populum Romanum retinere; Mommsen, *Ibid.*, p. 275 et n. 4.

(2) Vers. 38-42.

(3) *Ibid.*, p. 100, 5-6.

(4) Mommsen, loc. laud., p. 275-276.

Publicani vero negaverunt inter agros immunes illos annumerandos esse qui Amphiarao dicati fuissent; nam de agris deorum immortalium legem egisse, Amphiaraum autem heroem, non deum fuisse. De qua lite etiam Cicero (1) in quodam loco mentionem facit : « An Amphiaraus erit deus et Trophonius? Nostri quidem publicani, cum essent agri in Boeotia deorum immortalium excepti lege censoria, negabant immortales esse ullos, qui aliquando homines fuissent. »

Num de divinitate Amphiarai recte an perperam iudicarent, in dubio fortasse videri potest (2); verum iure Oropii, edictum illud peculiare prae se ferentes, quod etiam senatus cum ceteris Sullanis actis sanxerat, tres Romam legatos miserunt qui consulum et senatus opem adversus publicanos impetrarent (3). Iusserunt patres conscripti anno a. C. n. 74 (= ab U. C. 680) consules de hac re cognoscere et statuere, et quod sibi visum foret ad arbitrium iudiciumque senatus deferre : illam enim consuetudinem legitime usurpatam fuisse ex omnibus exemplis comperimus (4).

Causa igitur anno insequente apud consules orata est, quibus quindecim senatores in consilio adfue-

(1) *De natura deorum*, III, xviii, 49. — Cf. quae apud consules L. Domitius Ahenobarbus pro publicanis dixit; v. 25-29.

(2) Memorat de hac re Mommsen locum quendam Pausaniae, I, xxxiv, 1, de quo infra (Part. II, cap. I) agemus.

(3) Vers. 16-19.

(4) Vid. ap. Cousin, *Bull. de corr. hellén.*, XI, p. 225 et seq., senatus consultorum catalogum, quae adhuc nota sunt.

runt (1); Oropii litem obtinuerunt. Ea sententia duobus post diebus in senatu comprobata fuit (2).

Consules postea civitati Oropiorum epistulam mittunt, controversiam totam ex ordine referentes, in Graecum sermonem e latino ad verbum versam, sententiam simul suam et senatus consultum exscribentes. Totum hoc documentum in integro usque ad nos pervenit; ex quo iudiciorum formulae singulae usurpataque de huiuscemodi litibus inquisitio plane cognosci possunt (3).

Ex illo autem documento apparet Oropum sui etiam tum iuris fuisse, nam epistula consulum populo et magistratibus Oropiorum (4) missa est. Praeterea res ipsa, de qua agitur, testatur nulli externae urbem hoc tempore fuisse obnoxiam (5). Hoc idem demonstrat titulus quo Oropii statuam Sullae et uxori dedicant (6). — Si denique alio monumento inniti opus est, nomen urbis in catalogo liberarum civitatum occurrit (inter quas et Athenarum nomen), qui senatus consulto nuper Laginae effosso adiunctus est (anno 81 a. C.) (7).

(1) Vers. 7-16. — Causa apud eos utrinque orata est : vers. 30-23; 25-29.

(2) Vers. 29-31, 35, 52 ad finem.

(3) Vid. Mommsen, loc. laud., p. 279 et seq.

(4) Vers. 2.

(5) Cf. Mommsen, *ibid.*, p. 276-277. — Etiam Ciceronis locus, quem supra attulimus, hoc comprobat : loquitur enim de *agris in Boeotia*.

(6) Dedicationem facit ὁ δῆμος Ὠρωπίων. — Cf. etiam reliquas dedicationes, append. IV.

(7) Diehl et Cousin, *Bull. de corr. hellén.*, IX, p. 450, fr. M 2, col. 3.

De titulo nunc Attico quodam mentio facienda est, in quo Amphiarai templum item ut extra Atticam situm commemoratur (*C. I. A.*, II, 471). Ætatem huius decreti, quanquam certo definiri non potest, in priorem partem ultimi a. C. n. saeculi incidere opinatur Kœhler (1). In hoc senatus et populi decreto collaudantur, sicut mos erat, ephebi Athenienses ἐπὶ Νικοδήμου ἄρχοντος qui officia sua expleverint omnia; ea autem officia ex ordine enumerantur; inter quae haec potissimum nobis notanda sunt (vers. 27-28) :

παρε[γ]ένο[ντο] δ[ὲ καὶ εἰς τὸ Ἀμφιάραον καὶ ἱ]σ[τόρησαν] τὴν γεγονεῖαν ἐκ παλαιῶν χρόνων ὑπὸ τῶν πατέρων τοῦ ἱεροῦ [κ]υριείαν καὶ θ[ύ]σαντες ἀπῆ[λ]θον αὐθ[ημερεὶ εἰς τὴν ἑαυτῶν χώρ]αν.

Vers. 70 fere eadem verba occurrunt de cosmeta epheborum, ita ut inde quaedam in hoc loco expleri possunt. Verba autem εἰς τὸ Ἀμφιάραον in utroque loco restituit Koehler, qui in commentario haec addit (2) : « Sermo erat de templo extra fines atticos sito (3), ut uno die eo perveniri et rediri posset, quod templum olim sub dicione Atheniensium fuerat. Haec ad solum Amphiarai templum quadrare mihi videntur.

(1) Vid. commentarium ad *C. I. A.*, II, 478, p. 287, col. 1 : « *Altera classis* eorum est monumentorum, quae nos quidem ad ultimos annos saeculi alterius et priorem partem ultimi a. C. n. saeculi referenda esse duximus (465-471). »

(2) *Ibid.*, p. 277, col. 1.

(3) Cf. vers. 24-25 qui proxime antecedunt : ἐξῆλθο[ν δὲ] καὶ ἐπὶ τὰ τῆς Ἀττικῆς ὅρ[ι]α...; vers. 26 et 69 : [ἐ]μ Μ[αρ]αθῶνι.

Ἀμφιάραον dictum pro Ἀμφιαράειον (1). ...Igitur eo tempore, quo monumentum ephebicum conditum est, Oropus Atheniensibus nondum reddita erat, sed ex ipsis decretis intellegitur eos spem recuperandae civitatis non omisisse. »

In decreto denique Atheniensi quod inter annos 39 et 32 a. C. latum fuisse censet Koehler (*C. I. A.*, II, 482) inter ephebos externarum gentium annumeratur Oropius quidam :... τος Εὐνόστου Ὠρώπιος (2) ; unde consequitur etiam tum urbem liberam fuisse (3).

Itaque ab anno 322 usque ad novissima Romanae rei publicae tempora libertatem Oropus servavit, quod quidem omnium scriptorum aut titulorum testimonia confirmant. Strabo etiam, cum litora Graeciae sequitur, notat alicubi Atticae terminum esse, a quo Oropiorum fines incipiunt (4) : eo igitur tempore Oropia et Attica discriminabantur.

Posterius vero Pausanias in altero post Chr. saeculo Atticae partem esse declarat Oropium agrum; inde suspicari licet iam satis longo tempore urbem ab Athenis reciperatam fuisse, quod scriptor idem testatur iam a Philippo, Macedonum rege, sine intermissione Athenis Oropum esse emancipatum (5) : sed

(1) Litterae ... αον in vers. 70 dispiciuntur. Animadvertit Koehler « festa Amphiarai in titulis Atticis imperatorum aetatis dicta fuisse Ἀμφιέραα. »

(2) Vers. 117.

(3) In titulis etiam quibusdam sepulcralibus atticis eiusdem aetatis Ὠρώπιοι occurrunt : *C. I. A.*, II, 3415, 3416.

(4) IX, II, 6.

(5) I, XXXIV, 1.

hoc quidem utique falsum esse satis superque demonstravimus. De aetate igitur, qua rursus Oropus liber esse desierit, profitendum est nihil nos aperte scire : urbem a M. Antonio Atheniensibus redditam fuisse coiecit Koehler (1). Post in nonnullis Atticis titulis alteri post Chr. saeculo adscribendis Amphiaraa memorantur inter sollemnia quae Athenienses ephebi de more celebrant (2).

Haec extrema indicia occurrunt de Oropi urbis historia. Oraculum perduravisse usque ad finem imperii Romani ex eo comperimus, quod traditur Constantinus sacrum dirui et solo adaequari iussisse (3).

(1) *Mittheil. Instit. Athen.* IV, p. 259.

(2) *C. I. A.*, III, 1171, 1173, 1174, 1193, 1198. — Nec praetermittendi sunt duo Attici tituli quos Dittenberger item alteri post Chr. saeculo assignat : *C. I. A.*, III, 25 (in vico Menidi repertus); arbitri ad litem inter societates duas componendam eliguntur; vs. 10 : Ἀμφιάραον δίκαιον; *ibid.*, 61 A (de praediorum quadam obligatione, Mommsen, *Hermes*, V, p. 129 et seq.); vers. 13 : ψειλοῦ Ἀμφιαράου. De Amphiarai in utroque titulo mentione nihil liquet.

(3) Euseb., *Vit. Constant.*, II, 56.

CAPUT QUINTUM.

DE OROPIORUM RE PUBLICA, MORIBUS, LINGUA.

Restat nunc ut pauca de ipsa Oropiorum re publica, quantum quidem documenta suppeditant, adiciamus. Cuius ratio etiam atque etiam immutata fuit, prout Oropii Atheniensium erant in potestate, aut Thebanos et foedus Boeoticum sequebantur, aut sui iuris omnino erant.

Ac principio quidem per quintum a. C. n. saeculum, quod ante nihil de urbis statu exploratum habemus, Athenienses Oropum obtinent. De huius tum incolis duobus locis testatur Thucydides, eos Atheniensium ὑπηκόους esse (1); neque aliud verbum usurpat Pausanias cum significat Oropios in eorum dicione esse (2). Ergo, quotiens Athenienses in illa regione dominabantur, sibi obnoxios vel subiectos Oropios tenebant; ex cuius vocabuli sensu concludere licet eos neque cives Athenienses unquam factos

(1) Thucyd., II, 23; IV, 99.
(2) Pausan., VII, xi, 2. Cf. supra, p. 67.

neque in foederatorum numerum receptos fuisse (1). Erraverunt igitur qui inter Atticos pagos Oropum reposuerunt : cui ceteroquin opinioni nemo iam nunc assentitur (2). Praeterea in ephebico decreto, quod paulo supra commemoravimus, verba προστασία et κυριεία occurrunt, quibus designatur prisca illa Atheniensium dominatio (3).

Athenienses autem qua ratione Oropum regebant nisi per cleruchos? nam e cunctis documentis nulla alia arte scimus eos sibi externas gentes, cum in aliquo loco consedissent, subegisse (4). Cives quippe nonnullos deducebant, quorum unus quisque, agrorum partitione facta, partem aliquantam accipiebat, eo scilicet pacto ut civile ius in integrum servaret, etsi a patria longe remotus foret, in eadem etiam tribu eodemque pago, atque antea, adscriptus. Eandem hanc rationem et in Oropia semper valuisse manifestum est ex uno exemplo, de quo certo commonefacti sumus : nam cum post Demadeam pacem Oropo iterum potiti sunt Athenienses, eius modi factam fuisse agrorum inter tribus partitionem supra rettulimus (5), unde iure coicimus consuetudinem illam non semel in Oropiorum finibus repetitam fuisse.

Incolarum vero condicio, quorum in agris conse-

(1) Cf. supra, cap. II, p. 29.

(2) Ross, *Attisch. Demen*, p. 3 et 6 et seq. Cf. cap. II, p. 23, n. 2.

(3) *C. I. A.*, II, 471, vers. 28 et 70; cf. cap. IV, p. 73.

(4) Kœhler, *Mittheil. Instit. Athen*, IV, p. 260 (*Die Münzen von Salamis, Eleusis und Oropos*).

(5) P. 42; haec ex Euxenippea causa nota sunt.

derant cleruchi, dissimilis neque eadem ubique fiebat, prout gentes bello devictae fuerant aut libenter colonos acceperant, vel numero plurimae aut pauciores erant (1). In civitatem quidem nusquam suscepti sunt; sed hic universi sedibus et patria pulsi fuerant (2), illic agrorum maximam partem, quin et instituta legesque suas servabant, ita ut cleruchi ab illis quasi separati inter alienas et amicas civitates agerent (3), illic denique agrorum sibi totam possessionem cleruchi arrogabant incolisque, ut videtur, metoecorum condicionem imponebant (4). Quomodo cum Oropiis actum fuerit, plane ignoramus. Nummi quidam Oropii aerei inventi sunt, in quibus ΩΡΩΠΙΩΝ nomen legitur (5). Inter quos nonnullos Kœhler aetati adscribit, qua urbs Atheniensibus obnoxia erat; idem censet igitur aliquem libertatis modum incolis concessum fuisse, qui pecuniam aeream faciendi potestatem habuerint; equidem, cum aetas nummorum non certius definiri possit, nihil de hac re affirmare ausim (6). Ceterum constat in urbe nonnunquam duas factiones exstitisse, quarum altera

(1) Foucart, *Mémoire sur les colonies athéniennes*, p. 392 et seq.

(2) In Samo insula; Foucart, *ibid.*, cap. VI.

(3) In Chersoneso Thracica; *ibid.*

(4) In Lemno et Imbro insulis; *ibid.*, p. 393 : « Ils semblent avoir été ce qu'étaient les métèques de l'Attique. Ce furent, sans doute, ces anciens habitants qui revendiquèrent leur autonomie toutes les fois que la puissance des Athéniens fut menacée. »

(5) Kœhler, *Mittheil. Instit. Athen*, IV, p. 250-267. Qui nummi modo reperti sunt non sunt editi.

(6) Von Wilamowitz, *Hermes*, XXI, p. 102, n., nummorum ætatem in annos 156 et seq. incidere coicit.

Athenienses fovebat, altera libertatem vindicabat (1). Exeunte etiam quarto saeculo, cum Dicaearchus urbem inviseret foederi Boeotico tum addictam, ait incolas denegavisse se Boeotos esse et « Boeotorum Atheniensium » nomen affectavisse (2). Ex quo inferet aliquis, imperium Atheniensium non graviter admodum eos tulisse ; sed illa indicia, fateor, leviora et incertiora sunt quam ut constituamus inde qualem condicionem Oropii acceperint.

Anno 402 Thebani Oropum occupant iam abhinc decem annis ab Attica dicione liberatum : quem primum suo iure uti sinunt; mox vero suas ipsorum leges urbi imponunt (3). Iam ex eo tempore quotiens Oropus foederi Boeotico rursus se adiungebat, constitutionem rei publicae eandem, atque reliquae consociatae urbes, accipiebat. Scimus enim in foederibus quidem Ætolorum et Achaeorum unamquamque civitatum peculiari rei publicae et institutis suis obsecutam (4), in Boeotico autem omnium rei publicae disciplinam ad eandem normam fuisse redactam (5) : id compluribus titulis comprobatum est;

(1) Cf. supra, p. 30-35; Preller, *Oropos*, p. 178.

(2) Dicaearch., I, 7 : Ἀρνούμενοι τοὺς Βοιωτοὺς Ἀθηναῖοί εἰσι Βοιωτοί. — Von Wilamowitz, *ibid.*, p. 103, qui alium esse sensum verborum comprobavit; cf. paulo infra. Ceterum, cum totiens ab Athenis defecissent Oropii, eos multo potius arbitramur impatientes iugi externi fuisse.

(3) Vid. supra, cap. II, p. 31; Diod., XIV, XVII, 3.

(4) Dubois, *Les ligues étolienne et achéenne*, p. 170 et seq.; p. 205 et suiv. — Cf. Gilbert, *Handbuch*, t. II, p. 32; p. 123.

(5) Gilbert, *ibid.*, p. 61. Id primus demonstravit Foucart, in *Inscriptions du Péloponnèse*, comm. p. 19-20.

et Oropum non diversam fortunam perpessum fuisse nunc inscriptiones demonstraverunt.

De communibus foederis magistratibus et conciliis nihil hic commemorandum est, quoniam de hac re docti viri, quae comperta sunt, exposuerunt (1). Qui vero Oropi magistratus occurrant, singulos ex decretis enumerabimus.

Rogationes primum ad *senatum* seu βουλὴν feruntur, cuius scita προβουλεύματα dicuntur; eadem posthac populi seu δήμου suffragiis proponuntur (2). Quapropter in decretis plurimis praescripta haec leguntur : ὁ δεῖνα εἶπεν προβεβουλευμένον εἶναι αὐτῷ πρὸς τὴν βουλὴν καὶ τὸν δῆμον (3).

In iisdem praescriptis trium magistratuum nomina offendimus : communis Boeotorum archontis, deinde Oropii archontis, postremo sacerdotis Amphiarai. Nec semel tres una occurrunt, nonnunquam archon tantum Boeotorum cum sacerdote, aut rarius Oropius archon et sacerdos, in multis etiam solus sacerdos (4).

Archon Oropius (ἐπὶ πόλεως) annuus creatus fuisse videtur, tum ex comparatione cum reliquis civitatibus, tum quia eponymus est. — *Sacerdotis* munera, quae ad religionem pertinent, singillatim exseque-

(1) Gilbert, *ibid.*, p. 52-61.

(2) In duobus tantum ineditis titulis συνέδριον et σύνεδροι occurrunt; vid. p. 52, n. 2; alia nomina eiusdem senatus haec sunt : Gilbert, *ibid.*, p. 63, n. 1.

(3) *C. I. G.*, 1570, et passim.

(4) Plura de his praescriptis vid. in cap. III, p. 51-52.

mur (1). Verum eundem scimus et civilibus quibusdam officiis fungi, ideoque domicilium illi in urbe, non in Amphiareio, fuisse (2). Nam et multis peregrinos multat et iudicium nonnunquam ipse exercet, quod utrumque ius etiam lege peculiari sancitum est (3).

Ex eadem lege docemur plura iudicia Oropi constituta fuisse, quae tamen nominatim non significantur (4). Inter quae certe *polemarchorum* collegium reponendum est : nam illi et Oropi reperiuntur. In Boeoticis urbibus cunctis, ubi hos magistratus exstitisse constat, polemarchi numero tres sunt. Eorum vero officia non ad rem militarem spectant, ut quis ex nomine interpretari possit : nam Thebis quidem iudiciariis controversiis praesunt, Orchomeni autem aerarium administrandum curant (5). Similia officia eos obiisse titulus Oropius *C. I. G.* 1570 demonstrat (6).

In eodem titulo κατόπται memorantur, quos etiam Orchomeni et Acraephiae deprehendimus; ad illos, ut videtur, ceteri magistratus rationes suas inspiciendas probandasque deferebant (7).

(1) Part. II, cap. III.

(2) Ἐφ. ἀρχ., 1885, p. 94 = *Hermes*, XXI, p. 91, vers. 2 et seq.

(3) *Ibid.*, vers. 10 et seq. Verba haec inter reliqua excipienda sunt : δικάζειν δὲ τὸν ἱερέα (v. 13 et seq.); von Wilamowitz, *Hermes*, XXI, p. 94.

(4) *Ibid.*, vers. 16-17 : ἡχοῖ αἱ δίκαι ἐν τοῖς νόμοις εἴρηται.

(5) Gilbert, loc. cit., p. 62; Foucart, *Bullet. de corr. hellén.*, IV, p. 85-86.

(6) Vers. 20, 26.

(7) Gilbert, *ibid.*, p. 62; cf. n. 2 et 3; *Bullet. de corr. hellén.*, VIII,

Alii magistratui nomen ταμίας ὁ προάρχων impositum est : inde manifestum fit Oropi, sicut in Orchomeno urbe, collegium quoddam quaestorum exstitisse, cui unus inter eos, ac fortasse quisque in vicem, praeerat (1).

Reliquorum etiam magistratuum officia subobscura sunt. Συνηγόρους quoque pecunias publicas tractavisse videmus (2), et συλλογέα exactoris vice functum fuisse iure coici potest : is in decreto supra allato aerarium aperire iubetur, ut inde pecuniam ad vasa reficienda sumat (3). Denique ἱεράρχας ipsum nomen declarat sacri potissimum aerarii curam habuisse (4). — Magistratus igitur illi fere omnes pecuniarum seu sacrarum seu publicarum dispensationi praepositi erant; sed cuiusque officia subtilius et aptius describere non licet.

De ceteris Oropiorum institutis, praeter ea, quae ad proxenicum ius spectant, quaeque alio loco exposuimus (5), omnia nos fugiunt. — Nunc qui fuerint mores, qualis indoles, quae artes gentis Oropiorum, inquirere necessarium esset; sed, quoniam fere omnino deficiunt documenta, pauca admodum de his

p. 72; tituli etiam inediti ex Acraephia urbe κατόπτας offerunt (Holleaux).

(1) Foucart, *Bullet. de corr. hellén.*, IV, p. 5 et 17; cf. quae commentati sumus de titulo quodam, qui Deli repertus est, *ibid.*, X, p. 102-104, ubi ταμίας ὁ προστατεύων in Histiaea urbe occurrit.

(2) Gilbert, op. laud, II, p. 336 et n. 1.

(3) *C. I. G.*, 1570, vers. 33-35; cf. part. II, cap. III.

(4) Vers. 26. Cum ἱεροποιοῖς probabiliter comparari possunt; cf. infra, *ibid.*

(5) Supra, cap. III.

omnibus perspicimus. Crediderim tamen artes nunquam magna diligentia ab Oropiis cultas fuisse. Quarum specimina prope nulla supersunt. Memoremus tamen in *Skala* anaglyphum egregium repertum fuisse, certamen quadrigarum, quo apobatae decernuntur, repraesentans (1) : quod nemo ab Oropio quoquam artifice effectum fuisse probare possit. Sculpturae fragmenta paucissima in sacro effossa sunt nec callidissime elaborata fuisse videntur (2). Quales autem fuerint statuae quae olim in Amphiareio stabant nullo modo nunc interpretari licet. Denique non vasa fictilia, ut in plurimis Graeciae regionibus, hoc loco ab hodiernis incolis, quod sciam, reperta sunt.

Suspicamur igitur illum populum aliis potissimum negotiis studia applicuisse, mercedi scilicet faciendae et mercaturis agendis, quae certe commercia urbis situs et opportunitas loci commendabant. Ceterum id ipsum testatur Dicaearchus in loco quem supra attulimus (3). Ait enim urbem contubernium esse mercenariorum, in qua lucro unice attenti omnes, publicani vero portitores intolerandae avaritiae sint, extremae improbitati iam pridem assueti (4). Idem

(1) Vid. infra, part. II, cap. I.

(2) Fragmenta haec nondum publici iuris facta sunt; de quibus tamen vide part. II, cap. II.

(3) Supra, in extrema cap. II parte; Dicaearch., I, 6-7.

(4) Loci huius non pauca verba mendosa sunt; tamen ita legendus videtur : Ἡ δὲ πόλις τῶν Ὠρωπίων οἰκία θητῶν (supra, p. 32) ἐστι, μεταβόλων ἐργασία, τελωνῶν ἀνυπέρβλητος πλεονεξία, ἐκ πολλῶν χρόνων ἀνεπιθέτῳ πονηρίᾳ συντεθραμμένη. — De iis, quae proxime insequuntur, vid.

etiam versus duos Xenonis ad effingendos eorum mores memorat :

> Omnes publicani, omnes sunt raptores;
> Malus finis sit Oropiis (1)!

Oropiorum inscriptiones fere cunctas communi sermone conditas esse monuimus (2). Eo ipso tempore, quo Hyettii tituli, quo et Megarici dialectum Boeoticam usurpant, Oropi iam obsoletam fuisse apparet, ita ut crediderim incolas peculiari lingua et illis annis usos fuisse, quibus Boeotico foederi alligati erant. Quod etiam testatur locus Dicaearchi, quem paulo supra rettulimus, cum de Oropiis mentionem facit : « Athenienses sunt in Boeotia (3). » Athenienses quidem non recte eos appellat Dicaearchus, qui se totiens Attico iugo exuerint : Boeoti certe origine non erant. Id nunc manifestum fecit titulus unus, praescriptionem dico, quae de rebus sacris ordinandis agit (4). Quam inscriptionem satis antiquam esse existimaverim propterea quod nonnunquam ο pro ου positum est : sic occurrunt ἑκάστο, τὸς, βόληται (5), iuxta ἑκάστου, τοῦ, Ἀμφιαράου. Haec

Bœckh, *Staash.*, l. III, cap. IV, et contra C. Müller, ad loc. (ed. Didot).

(1) Πάντες τελῶναι, πάντες εἰσὶν ἅρπαγες. — Cf. etiam Dicaearch., *ibid.*: τὴν μὲν αἰσχροκέρδειαν κατοικεῖν ἐν Ὠρωπῷ...

(2) Cap. III, p. 50.

(3) Supra, p. 79.

(4) Ἐφ. ἀρχ., 1885, p. 94 = *Hermes*, XXI, p. 91 (titulum commentatus est von Wilamowitz-Möllendorf, quem proxime sequimur); cf. part. II, cap. III.

(5) Apud Homerum βόλομαι occurrit; vid. G. Meyer, *Griech. Gramm.*,

et similia quaedam propter solam scripturae rationem notandae sunt : semel enim ο pro ω scriptum est, ut πόλεος = πόλεως, semper autem οι pro ωι, ει pro ηι, ut τοῖ ἱεροῖ, πετεύροι, εἶ = ἦι, παρέλθει, ἐκτίνει = ἐκτίνηι, ἀδικηθεῖ (quod etiam in Atticis titulis et in Eretriensi saepius usurpatum est). Indicia haec aetatis sunt, quam exeunti quinto saeculo aut ineunti quarto proximam fuisse arbitror (1).

Verum in hoc titulo ea potissimum animadvertenda sunt quae ad dialectum Oropiorum definiendam valent. Inter quae alia vetustiorem Ionicam dialectum referunt : ὥρης, ὑστέρην, ἐκφορὴν, ἰδίει, θυσίει, δραχμέων, δημοτέων (2), τεμένεος, παρεόντος, ἀφικνε(ο)μένων (3), γινέσθων, μέζονα (4). Alia vero ab eadem discrepant : nam ἱερόν, ἑορτή, non ἱρόν, ὁρτή, ut apud Herodotum, scribitur. Ἔλαττον etiam verbum pro ionico ἔλασσον cum Eretriensi et Attica dialectis congruit (5). Id vero peculiariter cum Eretriensi sermone commune notandum est, quod in Oropio rhotacismus occurrit. In titulo enim Eretriensi eiusdem aetatis (6), formae

§ 194, 290, 499. In nostro titulo quoniam non semel ο pro ου occurrit, dubium est utrum haec forma scripta fuerit an communis βούληται.

(1) Von Wilamowitz, loc. cit., p. 97.

(2) Sed ἀδικιῶν, vers. 19.

(3) Litteram uncis inclusam omisit lapicida.

(4) Sic etiam ap. Herodotum.

(5) Praetermitto nonnullas verborum formas, quae singulares apud Oropios apparent : ἐκτιθεῖν, διδοῦν, ἐξεῖν (iuxta εἶναι; cf. Dittenberger, *Syll.*, 60, et add.). In aliis sola scripturae ratio notanda est : εἴρηται pro εἰρέαται; ἐντο(ῦ)θα pro ἐνταῦθα; ἠχοῖ pro ἦχι (cf. ὅποι, ἐνταυθοῖ), ἱερῆον, denique H(ε)σπέρης. Von Wilamowitz, *ibid.*, p. 98.

(6) Cauer, *Delectus*, ed. II, n° 553.

ὀπύραι, ἄ[ρχ]ουριν, ὀμνυούρας, παραβαίνωριν advertendae in quibus ρ in locum litterae σ successit (1). Item in Oropio δημορίων apparet (2). Quapropter, cum plerasque singulorum verborum formas Eretrienses et Oropii communes habuerint, quae saepius dialecto Ionicae veteri tribuendae sunt, et hoc potissimum rhotacismo inter reliquos Ionas usi sint, nemini dubium esse videbitur quin una eademque origo, quemadmodum probavimus (3), utrique genti assignanda sit.

(1) Animadvertit etiam Plato de rhotacismo apud Eretrienses, *Cratyl.*, 434 c.

(2) Cf. etiam quae memorat *Etymol. Magnum* s. v. Εὔιος · (ἀντὶ τοῦ) Εὔσιος ... Ἔθος δὲ ἔχουσι ... καὶ Ὠρώπιοι, ἔνδειαν τοῦ σ ποιοῦντες, ... ὡς καὶ τοῦ ποιῆσαι ποιῆαι... — Idem notat verborum quandam iuncturam, quam peculiarem ait esse Oropiorum; s. v. χαίρειν · χαίρω σε ἐληλυθότα. Ὠρώπιοι οὕτω λέγουσι... — Drabbe, *De Oropo*, p. 25-26.

(3) Cap. II, p. 22-24.

PARS POSTERIOR

DE AMPHIARAI SACRO

PARS POSTERIOR

DE AMPHIARAI SACRO

CAPUT PRIMUM.

DE PRIMA ORIGINE CULTUS, QUI PROPE OROPUM IN AMPHIARAI HONOREM INSTITUTUS FUIT.

Hactenus de Oropi urbis rebus quae comperta sunt, rettulimus; nunc de templo, quod prope urbem Amphiarao dedicatum fuit, et de cultu in honorem herois ibi instituto, quae possunt e scriptoribus aut e locorum investigatione conferri, exponenda sunt. Ac primum de ipso Amphiarao heroe pauca dicemus, ita ut intellegatur, qua de ratione eum colere tum Graeci tum praecipue Oropii coeperint : quam fabulam, apud antiquos pervulgatam, quoniam nunc in

plurimis libris copiose admodum relata est, nobis summatim commemorare sat erit (1).

Inter Melampodidas notissimus Amphiaraus erat. Huic generi e Thessalia prima origo perhibetur : nam Crethei, Æoli filio, Tyro nympha inter alios Amythaonem peperisse dicitur; a quo Bias et Melampus nati sunt. Is cum artem aegrotos homines simul et animalia sanandi dono singulari Deorum excogitasset, clarissimi medici et vatis famam adeptus (2), a Proeto, Tirynthio rege, accitus est, ut aegrotantibus ex impietate Argivis mulieribus subveniret. Propter quod beneficium regni partem sibi poscit Melampus, partem Bianti, tertia ipsi Proeto relicta; postquam autem hoc pacto in consortium regni accepti sunt ambo, Proetum Tirynthe pulsum usque Sicyonem abigunt, deinde pace facta filias eius uxores ducunt. His artibus Melampus, qui posthac aeque atque Æsculapius et Chiron in memoria hominum celebratus est, regnum Argivum cum fratre Biante occupat. Filiis tribus, quos ex Iphianassa Proetide genuit, artem suam communicavit, qui Melampodidae a patris nomine dicti vaticinandi et medendi facultatem, quam acceperant, transmiserunt. Inter nepotes alii, qui e minoribus natu orti sunt, ut privati artem exer-

(1) Plura de hac fabula vid. ap. Preller, *Oropos und das Amphiar.*, 1852; *Griech. Mythol.*, (3te Aufl. Plew), t. II, 353-363, 472-474 et passim; Daremberg et Saglio, *Dict. des antiq.*, art. *Amphiaraus*; Bouché-Leclercq, *Hist. de la divination*, t. II, 19-26 et passim; Roscher, *Ausführl. Lexik. der griech. und rœm. Mythol.*, v. *Amphiaraos.*

(2) Preller, *Griech. Mythol.*, t. II, p. 56, 315, 472-474, qui locos veterum collegit.

cuerunt : uni Antiphati, maximo scilicet natu, deinde filio Oiclei, denique Amphiarao nepoti, regnum una et ars illa cesserunt.

Mox inter Melampodidas et Biantidas bellum ortum. Quin etiam Adrastus, Biantis nepos, finibus pulsus ab Amphiarao, confugit Sicyonem : in qua urbe Polybi gener factus etiam regni hereditatem adipiscitur; postea vero cum Amphiarao foedus facit, ita ut Argos redeat et Amphiarao Eriphylam sororem in matrimonium collocet. Inde huic malorum principia et causa exitii (1). Polynices enim, qui Thebis exsul Argos petit, alteram Adrasti filiam ducit (nam altera Tydei nupserat), mox socerum sibi adiungit ad bellum, quod contra Eteoclem meditatur, adacto etiam fortissimo quoque Argivorum. Superest ut concilietur Amphiaraus, tum propter pietatem et vaticinia, tum propter virtutem in bello insignis. Ille autem coeptis repugnabat, quippe qui arte sua monitus exitum haud faustum praevideret; postremo tamen, urgente Eriphyla, quam oblato aureo Harmoniae torque Polynices corruperat, quanquam invitus arma sumit et inter Septem annumeratur, iussis antea filiis Alcmaeone et Amphilocho ut, si quid patri accideret, poenas a matre repeterent (2).

Dum per Nemeae vallem transgrediuntur, accidit ut puer Opheltes, Lycurgi, qui ibi regnabat, filius

(1) Hom., *Odyss.*, XI, 326.

(2) Plurimi sunt poetarum vel aliorum scriptorum loci qui hanc fabulam commentati sunt; vid. Preller, *Griech. Mythol.*, II, p. 353 et seq.; inter quos notissimos tantummodo versus quosdam elegimus.

infans, a quo nutrix humi ludente paululum discesserat, a dracone correptus devoretur : quae res pro novo omine habita est, et Archemorus nomen puero additum, ut qui morte sua principibus fatalem exitum praenuntiaret. — Denique et postquam Thebas ventum est, Amphiaraus postremum enititur ut socios deterreat, ne temere certissimo casui occurrant : monita enim Deorum contraria esse, et victimarum exta vetare, ne Ismenum flumen transeant; nequicquam : quin etiam in vatem vehementissime irascitur Tydeus, nedum de sententia desistat. Quoniam igitur nihil prudentissima consilia valent, omnium, excepto Adrasto, morte praedicta, et ipse, ut ait Æschylus, cum fortis non videri, sed esse revera velit, in pugnam procedit (1).

Interfectis vicissim ducibus, soli superstites Adrastus et Amphiaraus in fugam vertuntur, in Atticam tendens ille, hic fortuito mare ad Orientem petens, quem proxime Periclymenus exagitat. Qui cum iam tergo fugientis instaret, ex improviso Iupiter, ut vatem dilectum incolumem servet, ictu fulminis terram dirumpit, et ipsum cum curru, simul Thoantem et Biantem equos et Batonem aurigam, in gurgitem dehiscentem absumit.

Talia ferme, ne singulas res longius exsequamur et discrepantia quaedam omittamus, de Amphiarao a poetis et ab illis, qui heroicorum temporum fabulas

(1) Æschyl, *Sept. c. Theb.*, 592 : οὐ γὰρ δοκεῖν ἄριστος, ἀλλ' εἶναι θέλει. Cf. totum locum Æschyleum (568-625) qui pietatem et virtutem Amphiarai magnificentissimis laudibus extollit.

conscripserunt, composita et tradita sunt (1). Iam inter cyclica poemata refertur unum cui Ἀμφιαράου ἐξέλασις nomen inscribebatur (2); Thebani deinde scriptores, inter quos Pindarus, videntur nonnunquam huius fabulae memoriam renovavisse, nec non et Athenienses tum tragici tum comici poetae, si quidem argumenta fabularum ex titulis et fragmentis, quae supersunt, dispicere quodam modo licet (3). Sicut poetae, ceteri etiam artifices ex eadem fabula, quae de Amphiarao ferebatur, materiam operibus fingendis aut delineandis persaepe sumpserunt (4).

(1) Hac tabula Bouché-Leclercq (*Atlas pour servir à l'Histoire grecque*, p. 16; cf. p. 28) genus Melampodidarum complectitur :

Melampus

Antiphates	Mantius		Abas
Oicles	Clitus	Polyphides	Coeranus
Amphiaraus		Theoclymenus	Polyidus

Alcmaeon Amphilochus

(2) Suid., v. Ὅμηρος; Pseudo-Herod., *Vit. Homer.*, § 9; Kinkel, *Epic. graec. fragm.*, I, p. 59. Id poema non diversum fuisse ab illo, cui *Thebais* inscribitur, censuit Welcker, *Episch. Cyclus*, ed. II, vol. II, p. 320-379; quin et totius poematis argumentum ordinemque restituere aggressus est (vid. p. 375).

(3) Praeter locos, quos collegit Welcker in notis (op. laud.), vide Roscher, *Lexicon der Mythol.*, *Amphiaraos*, p. 302.

(4) Cum a proposito nostro alienum sit unaquaeque promere, quae vasis aut sculptura expressa sunt, vid. Roscher, *Lexicon*, *ibid.*, p. 295-296, 299; Daremberg et Saglio, *loc. cit.*; Baumeister, *Denkmaeler d. alt. Kunst*, t. I, v. *Amphiaraus*. — De anaglypho tamen uno mentio hic facienda est, quod prope *Skala* vicum repertum est, in

Ut unum ex multis aliis exemplum hic prodam, notavit Pausanias heroem inter Septem conspicuum fuisse in celeberrima illa Cypseli cista, quae Delphis dedicata erat : in qua etiam uni illi proximus currus stabat (1).

Quam fabulam cum per Graeciam poetae et artifices vulgaverint et celebraverint, certa etiam loca, in quibus haec acta fuerint, homines designaverunt : de iis vero, ut aequum est, non consenserunt. Sic illam regionem, qua Amphiaraus absumptus fuisset, alii prope Thebas alicubi, alii circa Oropum indica-

quo scilicet loco Oropum urbem exstitisse supra probavimus, part. I, cap. I. Interpretationem Welckeri, qui primus hoc opus delineavit et commentariis illustravit (*Alte Denkmaeter*, t. II, p. 172 et seq.; tab. IX, 15; iterum expressit Baumeister, *loc. cit.*), cum nonnulli postea secuti fuissent, nunc confutavit Koerte (*Die antiken Sculpturen aus Boiotien*, n° 193, in *Mittheil. Instit. Athen*, 1878, III, p. 410-414). Qui probavit non Amphiaraum fugientem ab artifice repraesentatum fuisse, sed potius *apobatam* quadrigis decernentem, quod certaminis genus in antiquis ludis permultis usitatum fuisse scimus (cf. Collignon, *Course d'apobate sur un bas-relief attique*, in *Bull. de corr. hellén.*, VII, p. 458-462; tab. XVII). Anaglyphum verisimile est pro *anathemate* positum fuisse ab ipso *apobata*, qui palmas detulit et quidem in Amphiaraensibus ludis, ut propinquitas locorum indicat. Ceterum opus illud, cuius aetatem in initium quarti saeculi incidere labor et cura testantur, Atheniensis artifex an Oropius effinxerit, non liquet. — Welckeri interpretationem mirer etiam a Baumeister repetitam fuisse (anno 1885).

(1) Pausan., X, x. 2. Stat in curru Baton auriga; cf. *Jahrbuch*, III, p. 365.

bant, in diversis scilicet locis, quibus *Harma* nomen : quorum vel tria vel quattuor numerabantur (1) ; nam in illo, ut videtur, vocabulo interpretabantur quandam currus sive ἅρματος herois memoriam inesse. Supervacuum profecto et quodammodo puerile esse videretur litem hanc nunc etiam redintegrare et expedire : omnibus enim nunc liquet, *Harma* nomen non ex Amphiarai casu originem duxisse, verum, cum tale se forte haberet, huic interpretationi posterius quasi ansam dedisse.

Alia quaestio subest, quam explanare magis conducit : utrum videlicet iuxta Thebas, ut plurimi tum antiqui tum recentiores scriptores censuerunt, an prope ipsum Oropum Amphiarai oraculum primum exstiterit. Si enim Straboni credimus, sacrum Amphiarao dedicatum, quod Cnopiae florebat, oraculi cuiusdam iussu Oropum translatum fuit (2). Cnopia autem inter Thebas et Potnias, prope ipsum Harma, nec longe a Mycalesso sita erat, propter viam quae a Thebis ad Chalcidem ducebat. Ibidem refert Pausanias campum quendam septum fuisse (περίβολον), in quo columnae stabant, et Amphiarao dicatum : nam illic fama ferebat heroem in gurgitem fuisse exhaustum; credebat vulgus neque columnis aves unquam

(1) De his locis vide Bursian, *Geogr. von Griechenl.*, I, p. 200 et seq., 217, 252, 333 ; Strab., X, I, 11.

(2) *Ibid.*, X, I, 10 : ἐκ Κνωπίας δὲ τῆς Θηβαϊκῆς μεθιδρύ[θη κατὰ χρησμὸν] δεῦρο τὸ Ἀμφιαράειον. Verba, quae uncis includuntur, ex Epitomatore ducta sunt. — Item et Lebadeenses, ut aiunt, Trophonii oraculum iubente Pythio Apolline instituerunt, Pausan., IX, XL, 1.

(3) Pausan., IX, VIII, 2.

insidere, neque herbam animalibus seu domesticis seu feris pastum praebere. Animadvertendum tamen Pausaniam minime de oraculo olim hic culto, sed de agello quodam sacro mentionem facere : cuius religionis in ipsa Harmatis propinquitate rationem satis aptam habemus. Solus igitur Strabo testificatur oraculum ibi Thebanos constituisse : an recte, nunc inquirendum superest.

Strabonis auctoritatem Herodoti testimonio comprobatam esse docti viri, ut videtur, existimaverunt. Is responsa ab Amphiarao petita duobus locis commemoravit : cuius verba temere legentibus ambiguum sensum revera praebent. Equidem, si illa accurate perpendere aggredimur, hanc opinionem a scriptore non corroboratam, sed multo potius confutatam esse iudico.

Ita enim se narratio Herodoti altera habet. Cum Croesus in animum inducit Persis minantibus obsistere, celeberrimos Graecorum vates consulit, inter quos et Amphiaraum. Adeunt legati herois templum, et perfectis sacris, quae exsequi mos erat, responsum regi tradunt : quo cognito, profitetur Croesus certissimum se divini numinis pignus accepisse. Quapropter ut vati gratiam meritam persolvat, ditissima dona largitur, clypeum scilicet totum aureum et cuspidem seu lanceam item ex auro factam : « quod utrumque, » addit Herodotus, « nostro adhuc tempore conspici potest in Thebano Ismenii Apollinis templo (1). »

(1) Herod., I, 46, 49, 52.

Alio loco memorat idem scriptor Mardonium, postquam devictus Xerxes in Asiam revertisset, ipsum in Graecia relictum misisse quendam Myn nomine ut responsa ab oraculis peteret, quae tum maxime auctoritate valerent; is igitur mandata exsequitur : « Ut Thebas venit, ait Herodotus, Ismenium prius Apollinem consuluit..., tum etiam externum quendam, non Thebanum, pretio adduxit ut in Amphiarai templo pernoctaret. Nam Thebanorum quidem nulli fas est oraculum consulere hanc ob causam : per responsa monuit eos Amphiaraus ut vellent se aut tanquam vate aut tanquam belli socio uti, alterutro autem abstinerent. Et illi hoc elegerunt, ut armorum ipsis esset socius. Ea igitur est causa, cur nulli Thebanorum ibi incubare fas sit (1). »

Utrum his locis de Thebano quodam an de Oropio Amphiareio Herodotus agat, in incerto fortasse alicui videbitur : nam de uno eodemque locutum fuisse et in hac narratione et in illa, nemo infitiabitur. Id certe dubitationem inicere queat, quod referat scriptor munera illa, quae Croesus miserat, Thebis in templo Apollinis Ismenii servata se vidisse. Inde coiecerunt viri docti (2) oraculum Amphiarai Thebanum nuper aboletum fuisse, ex quo incolae regia dona in proximum Apollinis templum transtulerint. Ipsa vero haec scriptoris verba commonent, nisi fallor, illud, quod perhibent, Thebanum oraculum

(1) Herod., VIII, 134.
(2) Prellerum secuti (*Oropos*, p. 167); Roscher, *ibid.*, p. 300.

nunquam exstitisse. Etenim Amphiareium, quod Croesus consuluit, etiam quo tempore Mardonius in Graecia versabatur, vigebat, imo inter notissima et fidissima reputabatur (anno 479). Quando Herodotus Historias suas composuerit, certis indiciis non edocemur : scimus tamen illum anno 443 Graecia cum colonis Atheniensibus decessisse, qui Thurios urbem condituri proficiscebantur. Aliquanto igitur antea Boeotiam invisit, vix triginta annis postquam Mardonius ab Amphiarao responsum petierat. Ergo intra admodum breve temporis intervallum Thebanum oraculum de prisco honore decidisse concludendum est, imo omnino aboletum fuisse, ita ut vestigia etiam templi oculis subducta essent. De qua re, quae per se valde miranda videbitur, quo pacto ne verbum quidem fecisset Herodotus? Et causae obscuritate involutae sunt, et ipsa res vix credibilis ab omnibus reputabitur.

Praeterea in hoc etiam quomodo non haereremus, quod in oraculo illo nulli Thebanorum pernoctare fas esset? Num quisquam verisimile arbitrabitur Thebanos oraculum condidisse, quo soli omnium non uterentur? Quin et deum illum, quem ut patrium adoptaverant, num *socium* sibi, perinde ac si externus esset, habuissent (1)?

Quae omnia contra, ut mihi quidem persuadeo, luce clariora apparebunt, si de Oropio Amphiareio agitur. Nam illuc Croesus et Mardonius responsa petitu-

(1) Von Wilamowitz, *Hermes*, XXI, p. 104, n. 2.

ros mittunt; quae munera rex Lydorum largitus est, paulo post Thebani ut praemia belli deportaverunt, illis scilicet temporibus, quibus eos in Oropiam irrupisse coiecimus (1); atque eadem fortasse tempestate deus eos commonuit ut se tanquam armorum socio, non vate, uterentur.

Nonnullis deinde labentibus saeculis opinati sunt homines Amphiarai oraculum prius prope Thebas constitutum fuisse, qui nempe crediderint heroem in illa regione cultum accepisse, qua bella gessisset et fato quodam singulari inter numina receptus fuisset; finxeruntque hinc oraculum Oropum transmisisse, et hoc igitur pacto duorum in vicem oraculorum originem interpretati sunt. Hanc opinionem Strabo retinuit tradiditque : cuius fortasse Apollodorus Atheniensis auctor, ut qui ratiocinandi magis viam executus sit quam res ipsas, quales traderentur, compererit (2).

Nunc autem, si demonstravimus Oropios ipsos proprium oraculum iam antiquitus condidisse, neque externa ex regione petivisse, suspicari etiam licet numinis illius naturam quodammodo diversam fuisse ab Argivo heroe, qui cum Septem traditur Thebas impugnavisse. Oropia enim non modico spatio a Thebano agro distat, in quo Septem debellavisse et interiisse referuntur : qua de ratione, cur sedem hic elegissent ut cultum eiusdem dei instituerent,

(1) Supra, p. 26; von Wilamowitz, *ibid.*, p. 105.
(2) Von Wilamowitz, p. 104, n. 2.

non satis liqueret. Quapropter illa opinio placet, de qua etiam plurimi consenserunt, Oropiorum deum principio inter illos reponendum esse, qui subterranei (χθόνιοι) vocabantur (1) : nam et illi Ζεὺς Ἀμφιάραος nomen nonnunquam, Dicaearcho teste, addebatur, et non diversum fuisse eundem a Plutone sive Hade deo Suidas nos certiores fecit (2). De prisca illa Oropii Amphiarai natura indicia non pauca etiam nunc discerni posse videntur, quae in herois Argivi fabulam sese inseruerunt. Ut cetera praetermittam (3), manifestissimum illud excerpam, quod in artificum operibus et carminibus quotiens Amphiaraus occurrit, vel intra reliquos saepissime illi currus quidam proxime apponitur : qui quasi insigne peculiariter subterraneis deis plerumque tribuitur (4). Ita etiam verba quaedam Pausaniae interpretari decet asserentis « primos Oropios Amphiaraum tanquam deum veneratos esse (5). »

Paulatim autem cuncta illa, quae de Amphiarao Argivo excogitaverant poetae, tanquam de suo ipso-

(1) Von Wilamowitz, p. 104, n. 2; cf. Bouché-Leclercq, *Hist. de la divination*, III, p. 334-339; Roscher, *Lexikon*, p. 302.

(2) S. v. πάμψυχος.

(3) Bouché-Leclercq, *ibid.*, II, p. 27; Pausan., II, XIII, 6-7.

(4) Roscher, *Lexikon*, p. 299, 302-303. Unde ipsum Amphiarai nomen ductum sit (ἀμφί, ἀράομαι, aut ἀμφί, ἱαρός) quaestio obscura est, de qua nihil certi decernendum esse censeo, praesertim cum nihil inde ad significationem nominis explanandam proficiamus; Preller, *Griech. Myth.*, II, p. 176, n. 4; p. 354, n. 1; von Wilamowitz, *loc. cit.*, p. 108.

(5) Pausan., I, XXXIV, 1 : θεὸν Ἀμφιάραον πρώτοις Ὠρωπίοις κατέστη νομίζειν.

rum deo narrata admiserunt Oropii, originem cultus obliti, quem patres instituerant. Quin et quaedam nova addiderunt, ut priscum cultum recentiori fabulae accommodarent : sic narrabant heroem, postquam sub terram haustus fuisset, ut deum rursus in lucem emersisse per fontem illum, qui in Mavrodilissi valle emanat (1). Inde permixta quaedam numinis et ambigua imago evasit, ut quae ex diversis fabulis concreverit. Nec aliter Lebadeensis Trophonii ancipitem originem naturamque testantur scriptores, quem modo inter subterraneos deum, modo inter fabulosos artifices recensebant (2).

Propter duplicem praecipue virtutem, vaticinandi nempe et morbos sanandi, Oropii Amphiaraum venerabantur. Quam utramque etiam Æsculapio vulgus adscribebat. Quaedam tamen inter haec numina intersunt. Nam Æsculapius medendi potissimum facultate praeditus esse credebatur, nec futuri praesensionem habere, nisi quantum pertinet ad morbos, de quibus eum homines consulebant : de ceteris autem rebus vaticinia non edebat. Sed Amphiarai praestantissima virtus scientia et cognitio futuri, quam

(1) Pausan., I, xxxiv, 3 : ταύτῃ γὰρ ἀνελθεῖν τὸν Ἀμφιάραον λέγουσιν ἤδη θεόν. — C [illegible] cap. II.

(2) Quae de Lebadeensi Trophonio animadvertit Bouché-Leclercq, *ibid.*, III, 322, eadem, mutatis nominibus, ad verbum et de Amphiarao valent : « Identifié par les uns, en raison de ses attributs, avec Hermès Chthonios (Cic., *De nat. Deor.*, III, 22), relégué par les autres, sur la foi de contes populaires, au nombre des artistes mythiques à côté d'Agamède et de Dédale, ce type indécis n'a pu ni perdre tout à fait, ni reprendre complètement son caractère originel. »

praesertim ex somniorum interpretatione consequitur (1). Ex laudibus etiam, quas de illo poetae cecinerunt, nulla certe frequentior quam quae de pietate et sapientia viri praedicabatur : memoremus praesertim quibus heroem verbis extollat Æschylus :

> Οὗτος δ' ὁ μάντις, υἱὸν Οἰκλέους λέγω,
> σώφρων, δίκαιος, ἀγαθὸς, εὐσεβὴς ἀνὴρ,
> μέγας προφήτης (2).....

Quin etiam ferebatur inter primos invenisse quasdam divinandi artes et edocuisse homines (3). Ea est causa, cur multi veterum illum traderent ex genere Apolliniorum vatum oriundum esse, et nonnulli, quibus fortasse Homerus auctor, ipsum Apollinis filium fuisse excogitarent (4). Nec dissimiles virtutes Melampodi attribuebantur (5); itidemque subterranea numina propter divinandi artem colebanbantur : unde liquet quibus de causis diversae illae de Amphiarao fabulae quasi in unum misceri et coalescere potuerint.

(1) Pausan., I, XXXIV, 5 : Δοκῶ δὲ Ἀμφιάραον ὀνειράτων κρίσει μάλιστα προσκεῖσθαι.

(2) *Septem c. Thebas*, 609, et seq.; cf. 602 et passim; cf. Pindar., *Nem.*, X, 9.

(3) Nam perhibebatur ex avium volatu inspiciendo coiecturam futurarum rerum unus ex primis sumpsisse, Bouché-Leclercq, *ibid.*, I, p. 131; a quibusdam etiam πυρομαντείας auctor habebatur; *ibid.*, p. 178.

(4) *Odyss.*, XV, 249-255. A quo non dicitur quidem Amphiaraus filius Apollinis; sed hinc fortasse prima fabulae origo; cf. Roscher, *Lexikon*, p. 302, in fine; Bouché-Leclercq, II, p. 27.

(5) Preller, *op. cit.*, II, p. 472-474.

Ipsa igitur natura vaticinandi facultas Amphiarao insita erat : ea iam quae de illius oraculo narrat Herodotus, deum certiores nos faciunt propter hoc peculiare munus cultum fuisse. Sed hinc etiam eidem illa mox altera facultas adscripta est, qua aegrotantibus succurreret : cum enim mente et ingenio cum Diis commercium et consuetudinem haberet, opem sibi homines nullam maiorem aut magis optabilem existimabant exposcebantque, quam ut ab illo aliquod doloris et malorum levamen consequerentur. Magis igitur atque magis oraculum consulere soliti sunt ut, si quid paterentur, e morbo recrearentur; atque hoc pacto evenit, ut Oropum de iisdem causis adirent, propter quas et Epidauria et Atheniensia Æsculapii sacra frequentabant.

mina condita et in publicum recitata ab Oropiis laudibus et iure proxenico condonatur (ἐπιδημήσας παρ' ἡμῖν ἀκροάσεις πεπόηται). Idem Amphicles iam notus est ex decreto quodam Deliaco, quod a cleruchis Atheniensibus latum est, cuiusque maximam partem ediderat Homolle (1) ; nunc decretum integrum exhibuit Fougères (2). Propter id Amphicles musicus et poeta ab Atheniensibus laudatur, quod carmina nonnulla condidit et recitavit, praecipue autem quod deos insulae praesides et Athenienses celebravit, docuit denique pueros carmen ad lyram canere (3).

Decretum Deliacum anno tribuendum est, quo Pelops Athenis archon fuit, cuius nomen in primo versu legitur. Quotus is annus sit, in incerto : certe anno 161 posterior est, nam anno 166 Athenienses Delum reciperaverunt, Atheniensium autem archontum nomina a 169 ad 161 cognoscimus (4).

Animadvertendum est poetam illum Amphiclem, Philoxeni filium, de quo agitur, in titulo Deliaco ut Ῥηναία occurrere (5), ut Δήλιον in Oropio (6). Athenienses quippe constat, postquam altero a. C. n. saeculo Delum insulam recepissent, incolas cunctos abegisse, ita ut gens ipsa Deliorum dissiparetur et aboleretur : quamobrem nunquam abhinc *Delius*

(1) *Bull. de corr. hellén.*, X, p. 36.
(2) *Ibid.*, XIII, p. 244.
(3) Vers. 5 et seq.
(4) *Bull.*, X. p. 7.
(5) *Ibid.*, XIII, p. 244, vers. 26.
(6) P. 248, vers. 2.

ethnicum in actis publicis Atheniensium usurpatum est; paucis incolarum, qui in patria remanserant, *Rhenaenses* nomen impositum. — In Oropio vero titulo adhuc *Delius* pro ethnico servatur, seu quia paulo vetustior est anno 166, seu quia illa lege, quam de Deliis sanxerant Athenienses, sese Oropii obstringendos esse negabant (1).

Decretum denique quod Oropii pro Hierone, Teleclis filio, Ægirate tulerunt, hic commemorandum est (2).

Sensus inscriptionis hic est : Hiero Teleclis filius ex Ægira, qui iam antea benevolum se erga Oropios praestiterat, novissime peculiare beneficium in eos contulit. Nam cum calamitates gravissimas, foederum etiam fide infracta, civitas perpessa esset, magistratus et cives quidam Oropiorum in conventum Corinthi adierunt, in qua urbe subsidia ab Hierone acceperunt; is praeterea Achaeos hortatus est ut ipsis curae essent et Amphiarai templum et Oropus, qui in amicitia populi Romani permansisset. Ulterius etiam concilium Achaei de eadem re agenda Argos convocant. Iterum ibi legatos Oropios in domum excipit et

(1) Proxime sequimur quae Fougeres exposuit, *ibid.*, XIII, 248 et seq.

(2) Edidit B. Leonardos, Ἐφ. Ἀρχ., 1885, p. 98-100; iterum dedit B. Latyschev, nonnullis emendatis, *Bull. de corr. hellén.*, X, p. 458.

Iovi Servatori sacrificat, deinde in contione contra Athenienses et alios adversarios verba facit et monet Achaeos ne in servitutem redigi urbem Graecam patiantur. Huius ope igitur civitas Oropiorum servata est, et in urbem suam qui exsulaverunt cum liberis et uxoribus redierunt. — Tanti beneficii memores decernunt nunc ut aereum signum Hieroni collocetur, qui honos a praecone in Ampharaorum sollemnibus publice pronuntiandus est.

Huius Hieronis pater Telecles is videtur fuisse, quem memorat Polybius legationem Romae peregisse (1). — Ex inscriptione nostra coiciendum est hoc loco verbum *Ægirates* pro *Ægeates* restituendum esse. Ægira autem urbs in ora septentrionali Peloponnesi sita est inter Ægium et Sicyonem.

Nunc de ipsis rebus nonnulla adicienda sunt, de quibus titulus noster agit.

Achaïcum foedus anno 146 dissolverunt Romani, quo Corinthum everterunt et vastaverunt. Hac igitur aetate paulo vetustius decretum est. Res autem paucis ante annis gestas tradit Pausanias, quae cum hoc documento mirum in modum congruunt. Narratio enim Pausaniae ita ferme se habet (2) :

Athenienses cum in extremas miserias e bellis concidissent, anno 156 in Oropiam irruunt urbemque compilant. De his iniuriis ad senatum Romanum con-

(1) Polyb., XXXIII, 1, 3 et seq.; cf. XXXII, 7, 14.

(2) Pausan., VII, cap. XI et XII. — Vid. Freeman, *Hist. of federal governm.*, I, p. 687 et seq., qui has res gestas fuisse opinatur inter annos 156 et 150.

querentes confugiunt Oropii; is, re comperta, diiudicandam Sicyoniorum arbitris tradit, ut de damno Oropiis praestando statuant. Vadimonium obire morantur Athenienses; quapropter quingentorum talentorum multa damnantur. De hac poena ipsi tum Athenienses ad senatum Romanum appellant, cuius decreto multa rursus ad centum talenta redigitur.

Hanc ipsam pecuniam solvere intermittunt Athenienses. Sed promissis et donis Oropios circumveniunt eoque adducunt, ut secum pactionem faciant; in qua condiciones hae statuuntur nostra quidem sententia valde mirandae : conceditur Atheniensibus ius praesidium Oropi collocandi; ipsis autem dabunt obsides Oropii, correctione tamen una adhibita, ut, si quid rursus in civitatem admitterent Athenienses, praesidium revocarent obsidesque redderent (1).

Nec multo post de hoc praesidio Oropii querelam faciunt, postulantque ab Atheniensibus ut revocent milites, a quibus novas iniurias acceperunt. Hi autem nolunt huic petitioni obsequi : culpam enim quorundam militum esse, non civitatis Atheniensium, et mox nocentes se castigaturos esse, respondent. Rursus denique ad externam opem confugiunt Oropii orantque Achaeorum foedus ut sibi auxilium adversus invisam dominationem praestet. Orantium vero preces Achaei primum repudiant, qui in societate et amicitia sint Atheniensium. Tum Oropii Lacedaemonium Menalcidam, Achaeorum praetorem, pecunia

(1) Pausan., VII, xi, 2.

sollicitant et decem talentis promissis perpellunt, ut urbis tutelam suscipiat partesque in conventu defendat. Is pecuniam acceptam pollicetur se cum Menecrate divisurum esse, qui propter Romanorum amicitiam plurimum auctoritatis apud civitates foederatas habebat, postea etiam praetor Achaeorum fuit. Et revera amborum consilium in contione valuit, decretumque fuit ut foederati contra Athenienses Oropiis auxiliarentur. Athenienses vero, ubi consultum hoc compererunt, statim ab Oropo praesidium deducunt; nec prius tamen quam agrum urbis ultimum vastaverunt. Menalcidas quidem et Menecrates censebant nihilominus esse in Atticos fines irrumpendum; sed non vicit eorum sententia; quapropter Achaeorum exercitus retro revertit.

Quanquam Hiero in hoc Pausaniae loco nusquam occurrit, nemo tamen infitiabitur illum his ipsis rebus interfuisse, quas tam copiose scriptor is narrat. Pausaniam enim verba tituli nostri plane confirmant et explent, ita ut ex Oropiae rei publicae temporibus nullum videam, cui magis accommodata esse queant. Nam ille quidem Menalcidam et Menecratem consilii auctores fuisse tradit, quo Achaïcum foedus Atheniensium vim et expilationem cohibuerat; e decreto autem docemur de hac re peculiariter in Argis urbe conventum factum fuisse, in quo Hiero Ægirates Oropiorum causam egit omniumque animos partibus eorum conciliavit. Virorum igitur nomina alia memorat Pausanias, aliud prodit titulus; quos omnes simul adiutores fuisse Oropiorum facile intellegimus.

Reliqua certe inter se quam aptissime concinunt.

Unum est tamen, in quo haerere possint, qui Pausaniae locum perlegunt : ait enim Oropum subiectum fuisse Atheniensibus cum vim illam pertulit (1). Sed id quidem non est quod miremur : nam idem asseverat, ut supra memoravimus (2), Oropum sine ulla intermissione (βεβαίως) iam a Philippi temporibus in dicione fuisse Atheniensium; in quo valde eum scriptorem erravisse, omnes tituli, omnia documenta, quae attulimus, abundanter demonstraverunt. Consentaneum est igitur, ut item erraverit de illis annis, quibus gesta haec fuisse refert. Verum tum e decreto tum ex ipsius verbis liquet hoc tempore urbem Oropum fuisse liberam. Nam ex improviso illam aggrediuntur Athenienses : qui fieri posset, ut suum ipsi agrum vastarent? Praeterea Romam legatos mittit, ut cui dominatio aliena immineat; et cum Atheniensibus pactionem facit, condicionesque dat et accipit; deinde auxilium a foedere Achaïco efflagitat, ut sibi iura sua in integro restituantur; postremo, depulso externo exercitu, decretum condit (3), quo adiutori et patrono suo Hieroni signum aereum tribuit : quae cuncta liberae sunt civitatis.

(1) *Loc. cit.*, init., § 2. De quo errore disseruit von Wilamowitz (*Hermes*, XXI, p. 101), qui suspicatur narrationem Pausaniae ex duobus scriptoribus contaminatam fuisse.

(2) Cap. II, p. 44.

(3) Vid. v. 30 : δεδόχθαι τῷ δήμῳ Ὠρωπίων.

CAPUT QUARTUM.

ROMANA TEMPORA.

Post eas res, quas rettulimus, per septuaginta fere annos de Oropo nihil sive e scriptoribus sive e titulis discimus. Bello Mithridatico rursus mentio urbis incidit, in senatusconsulto scilicet quodam, quod in Amphiareio nuper inventum est. Quod documentum edidit S. Basis et in latinam linguam transtulit (1), iterum etiam expressit Th. Mommsen et nonnullis commentariis instruxit (2).

Cum Athenas obsidebat L. Cornelius Sulla anno 87-86, ditissima aeraria trium Graecorum fanorum compilari iussit, Iovis scilicet Olympii et Apollinis Delphici et Æsculapii Epidaurii; captis postea Athenis (86) et debellatis ad Chaeroneam hostibus, damna spoliatorum numinum supplevit, cum Thebani agri fructuum dimidiam partem templis eorum addixis-

(1) Ἐφ. Ἀρχ., 1884, p. 100 et seq.; cf. quae idem adiecit ibid., 1886, p. 41 et seq.

(2) *Hermes*, XX, p. 268 et seq. : *Der Rechtstreit zwischen Oropos und den Römischen Steuerpachtern*; hanc commentationem et translationem potissimum sequimur.

set (1). Ex senatus consulto nunc comperimus Amphiareio Oropio condonationem eiusdem modi fuisse factam. Nam voti solvendi gratia, quod scilicet ineunte bello nuncupaverat, ut numini pro parta sibi et Romano imperio victoria gratias ageret, « fano Amphiarai agrum tribuit undequaque pedum M, qui ager sacer esset (2). » Simul deo Amphiarao consecravit « urbis et agri et portuum Oropiorum reditus omnes in ludos et sacrificia, quae Oropii deo Amphiarao faciunt, item quae posthac ob victoriam imperiumque populi Romani facient (3). » Re quidem vera agonistici tituli nuper in lucem editi comprobant votum ducis persolutum fuisse : nam post Sullanam victoriam sollemnia nova, quibus Ῥωμαῖα nomen est, in inscriptionibus iuxta Ἀμφιάραα apparent (4).

Cum igitur reliqui stipendiarii et tributarii agri vectigalia Romanis solverent, Oropi urbis reditus omnes templo et ludis adscribebantur et de pecuniis deducendi erant, quas Achaia provincia conferre debebat. — Immunitas uni Hermodoro, Olympichi filio, Amphiarai sacerdoti, concessa, qui, cum fundi

(1) Plut., *Sull.*, 12, 19; Diod., XXXVIII, 7; Appian., *Mithr.*, 54; Pausan., IX, 7.

(2) Vers. 44-45. — Confert Th. Mommsen consecrationem quam Sulla Dianae fecit post victoriam ad Capuam partam, Vell., II, 25; *C. I. L.*, X, 3828.

(3) Vers. 46-49.

(4) Ἐφ. Ἀρχ., 1884, p. 124, n° 2, v. 2-3. *Ibid.*, p. 126, n° 3, v. 4-6. In alio etiam titulo victor fuit vir quidam certaminis quod nuncupatur : εὐαγγέλια τῆς Ῥω[μαίων νίκης]; *ibid.*, p. 123, n° 1, v. 68-69. — Commemorat Mommsen et Romae *ludos Victoriae Sullanae* publice fuisse celebratos.

cuiusdam possessione frueretur, omni vectigali liberatus fuit, « quippe qui perpetuo in amicitia populi Romani mansisset (1). »

Quam consecrationem a L. Cornelio Sulla factam postea senatus Romanus ratam habuit confirmavitque anno 80 (ab U. C. 674) cum ceteris quas diis immortalibus idem imperator concesserat (2).

Pro hoc beneficio accepto, Oropii statuam Sullae collocaverunt, cuius basis adhuc servata dedicationes duas exhibet, alteram in ipsius, alteram in Metellae Caeciliae honorem compositam (3).

De his consecrationibus contentio quaedam inter Oropum urbem et publicanos orta est. Vectigalia enim quae ab agris vectigalibus exigebantur locabant vel quaestorum vel publicanorum societates, hoc pacto ut per quinquennium iure uterentur publicas pecunias erogandi; quae pactio lege censoria (s. locationis) sancita erat, qua iura et officia publicanorum definiebantur. In locationis autem lege de Achaia provincia lata vectigalibus excipiebantur agri quos diis immortalibus consecravissent seu senatus consulta seu Romani imperatores, et peculiariter agri illi quos Sulla dedicaverat, dummodo huius edicta senatus rata haberet et posterius non irrita fecisset (4).

(1) Vers. 50-51. Immunitatem hanc videtur iam iure paterno nactus fuisse, nunc propter benevolentiam erga populum Romanum retinere; Mommsen, *Ibid.*, p. 275 et n. 4.

(2) Vers. 38-42.

(3) *Ibid.*, p. 100, 5-6.

(4) Mommsen, loc. laud., p. 275-276.

Publicani vero negaverunt inter agros immunes illos annumerandos esse qui Amphiarao dicati fuissent; nam de agris deorum immortalium legem egisse, Amphiaraum autem heroem, non deum fuisse. De qua lite etiam Cicero (1) in quodam loco mentionem facit : « An Amphiaraus erit deus et Trophonius? Nostri quidem publicani, cum essent agri in Boeotia deorum immortalium excepti lege censoria, negabant immortales esse ullos, qui aliquando homines fuissent. »

Num de divinitate Amphiarai recte an perperam iudicarent, in dubio fortasse videri potest (2); verum iure Oropii, edictum illud peculiare prae se ferentes, quod etiam senatus cum ceteris Sullanis actis sanxerat, tres Romam legatos miserunt qui consulum et senatus opem adversus publicanos impetrarent (3). Iusserunt patres conscripti anno a. C. n. 74 (= ab U. C. 680) consules de hac re cognoscere et statuere, et quod sibi visum foret ad arbitrium iudiciumque senatus deferre : illam enim consuetudinem legitime usurpatam fuisse ex omnibus exemplis comperimus (4).

Causa igitur anno insequente apud consules orata est, quibus quindecim senatores in consilio adfue-

(1) *De natura deorum*, III, xviii, 49. — Cf. quae apud consules L. Domitius Ahenobarbus pro publicanis dixit; v. 25-29.

(2) Memorat de hac re Mommsen locum quendam Pausaniae, I, xxxiv, 1, de quo infra (Part. II, cap. i) agemus.

(3) Vers. 16-19.

(4) Vid. ap. Cousin, *Bull. de corr. hellén.*, XI, p. 225 et seq., senatus consultorum catalogum, quae adhuc nota sunt.

runt (1); Oropii litem obtinuerunt. Ea sententia duobus post diebus in senatu comprobata fuit (2).

Consules postea civitati Oropiorum epistulam mittunt, controversiam totam ex ordine referentes, in Graecum sermonem e latino ad verbum versam, sententiam simul suam et senatus consultum exscribentes. Totum hoc documentum in integro usque ad nos pervenit; ex quo iudiciorum formulae singulae usurpataque de huiuscemodi litibus inquisitio plane cognosci possunt (3).

Ex illo autem documento apparet Oropum sui etiam tum iuris fuisse, nam epistula consulum populo et magistratibus Oropiorum (4) missa est. Praeterea res ipsa, de qua agitur, testatur nulli externae urbem hoc tempore fuisse obnoxiam (5). Hoc idem demonstrat titulus quo Oropii statuam Sullae et uxori dedicant (6). — Si denique alio monumento inniti opus est, nomen urbis in catalogo liberarum civitatum occurrit (inter quas et Athenarum nomen), qui senatus consulto nuper Laginae effosso adiunctus est (anno 81 a. C.) (7).

(1) Vers. 7-16. — Causa apud eos utrinque orata est : vers. 30-23; 25-29.

(2) Vers. 29-31, 35, 52 ad finem.

(3) Vid. Mommsen, loc. laud., p. 279 et seq.

(4) Vers. 2.

(5) Cf. Mommsen, *ibid.*, p. 276-277. — Etiam Ciceronis locus, quem supra attulimus, hoc comprobat : loquitur enim de *agris in Boeotia*.

(6) Dedicationem facit ὁ δῆμος Ὠρωπίων. — Cf. etiam reliquas dedicationes, append. IV.

(7) Diehl et Cousin, *Bull. de corr. hellén.*, IX, p. 450, fr. M 2, col. 3.

De titulo nunc Attico quodam mentio facienda est, in quo Amphiarai templum item ut extra Atticam situm commemoratur (*C. I. A.*, II, 471). Ætatem huius decreti, quanquam certo definiri non potest, in priorem partem ultimi a. C. n. saeculi incidere opinatur Kœhler (1). In hoc senatus et populi decreto collaudantur, sicut mos erat, ephebi Athenienses ἐπὶ Νικοδήμου ἄρχοντος qui officia sua expleverint omnia; ea autem officia ex ordine enumerantur; inter quae haec potissimum nobis notanda sunt (vers. 27-28) :

παρε[γ]ένο[ντο] δ[ὲ καὶ εἰς τὸ Ἀμφιάραον καὶ ἱ]σ[τόρησαν] τὴν γεγονεῖαν ἐκ παλαιῶν χρόνων ὑπὸ τῶν πατέρων τοῦ ἱεροῦ [κ]υριείαν καὶ θ[ύ]σαντες ἀπῆ[λ]θον αὐθ[ημερεὶ εἰς τὴν ἑαυτῶν χώρ]αν.

Vers. 70 fere eadem verba occurrunt de cosmeta epheborum, ita ut inde quaedam in hoc loco expleri possunt. Verba autem εἰς τὸ Ἀμφιάραον in utroque loco restituit Koehler, qui in commentario haec addit (2) : « Sermo erat de templo extra fines atticos sito (3), ut uno die eo perveniri et rediri posset, quod templum olim sub dicione Atheniensium fuerat. Haec ad solum Amphiarai templum quadrare mihi videntur.

(1) Vid. commentarium ad *C. I. A.*, II, 478, p. 287, col. 1 : « *Altera classis* eorum est monumentorum, quae nos quidem ad ultimos annos saeculi alterius et priorem partem ultimi a. C. n. saeculi referenda esse duximus (465-471). »

(2) *Ibid.*, p. 277, col. 1.

(3) Cf. vers. 24-25 qui proxime antecedunt : ἐξῆλθο[ν δὲ] καὶ ἐπὶ τὰ τῆς Ἀττικῆς ὅρ[ι]α...; vers. 26 et 69 : [ἐ]μ M[αρ]αθῶνι.

Ἀμφιάραον dictum pro Ἀμφιαράειον (1). ...Igitur eo tempore, quo monumentum ephebicum conditum est, Oropus Atheniensibus nondum reddita erat, sed ex ipsis decretis intellegitur eos spem recuperandae civitatis non omisisse. »

In decreto denique Atheniensi quod inter annos 39 et 32 a. C. latum fuisse censet Koehler (*C. I. A.*, II, 482) inter ephebos externarum gentium annumeratur Oropius quidam :... τος Εὐνόστου Ὠρώπιος (2) ; unde consequitur etiam tum urbem liberam fuisse (3).

Itaque ab anno 322 usque ad novissima Romanae rei publicae tempora libertatem Oropus servavit, quod quidem omnium scriptorum aut titulorum testimonia confirmant. Strabo etiam, cum litora Graeciae sequitur, notat alicubi Atticae terminum esse, a quo Oropiorum fines incipiunt (4) : eo igitur tempore Oropia et Attica discriminabantur.

Posterius vero Pausanias in altero post Chr. saeculo Atticae partem esse declarat Oropium agrum ; inde suspicari licet iam satis longo tempore urbem ab Athenis reciperatam fuisse, quod scriptor idem testatur iam a Philippo, Macedonum rege, sine intermissione Athenis Oropum esse emancipatum (5) : sed

(1) Litterae ... αον in vers. 70 dispiciuntur. Animadvertit Koehler « festa Amphiarai in titulis Atticis imperatorum aetatis dicta fuisse Ἀμφιέραα. »

(2) Vers. 117.

(3) In titulis etiam quibusdam sepulcralibus atticis eiusdem aetatis Ὠρώπιοι occurrunt : *C. I. A.*, II, 3415, 3416.

(4) IX, II, 6.

(5) I, XXXIV, 1.

hoc quidem utique falsum esse satis superque demonstravimus. De aetate igitur, qua rursus Oropus liber esse desierit, profitendum est nihil nos aperte scire : urbem a M. Antonio Atheniensibus redditam fuisse coiecit Koehler (1). Post in nonnullis Atticis titulis alteri post Chr. saeculo adscribendis Amphiaraa memorantur inter sollemnia quae Athenienses ephebi de more celebrant (2).

Haec extrema indicia occurrunt de Oropi urbis historia. Oraculum perduravisse usque ad finem imperii Romani ex eo comperimus, quod traditur Constantinus sacrum dirui et solo adaequari iussisse (3).

(1) *Mittheil. Instit. Athen.* IV, p. 259.

(2) *C. I. A.*, III, 1171, 1173, 1174, 1193, 1198. — Nec praetermittendi sunt duo Attici tituli quos Dittenberger item alteri post Chr. saeculo assignat : *C. I. A.*, III, 25 (in vico Menidi repertus); arbitri ad litem inter societates duas componendam eliguntur; vs. 10 : Ἀμφιάραον δίκαιον; *ibid.*, 61 A (de praediorum quadam obligatione, Mommsen, *Hermes*, V, p. 129 et seq.); vers. 13 : ψειλοῦ Ἀμφιαράου. De Amphiarai in utroque titulo mentione nihil liquet.

(3) Euseb., *Vit. Constant.*, II, 56.

CAPUT QUINTUM.

DE OROPIORUM RE PUBLICA, MORIBUS, LINGUA.

Restat nunc ut pauca de ipsa Oropiorum re publica, quantum quidem documenta suppeditant, adiciamus. Cuius ratio etiam atque etiam immutata fuit, prout Oropii Atheniensium erant in potestate, aut Thebanos et foedus Boeoticum sequebantur, aut sui iuris omnino erant.

Ac principio quidem per quintum a. C. n. saeculum, quod ante nihil de urbis statu exploratum habemus, Athenienses Oropum obtinent. De huius tum incolis duobus locis testatur Thucydides, eos Atheniensium ὑπηκόους esse (1); neque aliud verbum usurpat Pausanias cum significat Oropios in eorum dicione esse (2). Ergo, quotiens Athenienses in illa regione dominabantur, sibi obnoxios vel subiectos Oropios tenebant; ex cuius vocabuli sensu concludere licet eos neque cives Athenienses unquam factos

(1) Thucyd., II, 23; IV, 99.
(2) Pausan., VII, XI, 2. Cf. supra, p. 67.

neque in foederatorum numerum receptos fuisse (1). Erraverunt igitur qui inter Atticos pagos Oropum reposuerunt : cui ceteroquin opinioni nemo iam nunc assentitur (2). Praeterea in ephebico decreto, quod paulo supra commemoravimus, verba προστασία et κυριεία occurrunt, quibus designatur prisca illa Atheniensium dominatio (3).

Athenienses autem qua ratione Oropum regebant nisi per cleruchos? nam e cunctis documentis nulla alia arte scimus eos sibi externas gentes, cum in aliquo loco consedissent, subegisse (4). Cives quippe nonnullos deducebant, quorum unus quisque, agrorum partitione facta, partem aliquantam accipiebat, eo scilicet pacto ut civile ius in integrum servaret, etsi a patria longe remotus foret, in eadem etiam tribu eodemque pago, atque antea, adscriptus. Eandem hanc rationem et in Oropia semper valuisse manifestum est ex uno exemplo, de quo certo commonefacti sumus : nam cum post Demadeam pacem Oropo iterum potiti sunt Athenienses, eius modi factam fuisse agrorum inter tribus partitionem supra rettulimus (5), unde iure coicimus consuetudinem illam non semel in Oropiorum finibus repetitam fuisse.

Incolarum vero condicio, quorum in agris conse-

(1) Cf. supra, cap. II, p. 29.

(2) Ross, *Attisch. Demen*, p. 3 et 6 et seq. Cf. cap. II, p. 23, n. 2.

(3) *C. I. A.*, II, 471, vers. 28 et 70; cf. cap. IV, p. 73.

(4) Kœhler, *Mittheil. Instit. Athen*, IV, p. 260 (*Die Münzen von Salamis, Eleusis und Oropos*).

(5) P. 42; haec ex Euxenippea causa nota sunt.

derant cleruchi, dissimilis neque eadem ubique fiebat, prout gentes bello devictae fuerant aut libenter colonos acceperant, vel numero plurimae aut pauciores erant (1). In civitatem quidem nusquam suscepti sunt; sed hic universi sedibus et patria pulsi fuerant (2), illic agrorum maximam partem, quin et instituta legesque suas servabant, ita ut cleruchi ab illis quasi separati inter alienas et amicas civitates agerent (3), illic denique agrorum sibi totam possessionem cleruchi arrogabant incolisque, ut videtur, metoecorum condicionem imponebant (4). Quomodo cum Oropiis actum fuerit, plane ignoramus. Nummi quidam Oropii aerei inventi sunt, in quibus ΩΡΩΠΙΩΝ nomen legitur (5). Inter quos nonnullos Kœhler aetati adscribit, qua urbs Atheniensibus obnoxia erat; idem censet igitur aliquem libertatis modum incolis concessum fuisse, qui pecuniam aeream faciendi potestatem habuerint; equidem, cum aetas nummorum non certius definiri possit, nihil de hac re affirmare ausim (6). Ceterum constat in urbe nonnunquam duas factiones exstitisse, quarum altera

(1) Foucart, *Mémoire sur les colonies athéniennes*, p. 392 et seq.

(2) In Samo insula; Foucart, *ibid.*, cap. VI.

(3) In Chersoneso Thracica; *ibid.*

(4) In Lemno et Imbro insulis; *ibid.*, p. 393 : « Ils semblent avoir été ce qu'étaient les métèques de l'Attique. Ce furent, sans doute, ces anciens habitants qui revendiquèrent leur autonomie toutes les fois que la puissance des Athéniens fut menacée. »

(5) Kœhler, *Mittheil. Instit. Athen*, IV, p. 250-267. Qui nummi modo reperti sunt non sunt editi.

(6) Von Wilamowitz, *Hermes*, XXI, p. 102, n., nummorum ætatem in annos 156 et seq. incidere coicit.

Athenienses fovebat, altera libertatem vindicabat (1). Exeunte etiam quarto saeculo, cum Dicaearchus urbem inviseret foederi Boeotico tum addictam, ait incolas denegavisse se Boeotos esse et « Boeotorum Atheniensium » nomen affectavisse (2). Ex quo inferet aliquis, imperium Atheniensium non graviter admodum eos tulisse ; sed illa indicia, fateor, leviora et incertiora sunt quam ut constituamus inde qualem condicionem Oropii acceperint.

Anno 402 Thebani Oropum occupant iam abhinc decem annis ab Attica dicione liberatum : quem primum suo iure uti sinunt; mox vero suas ipsorum leges urbi imponunt (3). Iam ex eo tempore quotiens Oropus foederi Boeotico rursus se adiungebat, constitutionem rei publicae eandem, atque reliquae consociatae urbes, accipiebat. Scimus enim in foederibus quidem Ætolorum et Achaeorum unamquamque civitatum peculiari rei publicae et institutis suis obsecutam (4), in Boeotico autem omnium rei publicae disciplinam ad eandem normam fuisse redactam (5) : id compluribus titulis comprobatum est ;

(1) Cf. supra, p. 30-35; Preller, *Oropos*, p. 178.

(2) Dicaearch., I, 7 : Ἀρνούμενοι τοὺς Βοιωτοὺς Ἀθηναῖοί εἰσι Βοιωτοί. — Von Wilamowitz, *ibid.*, p. 103, qui alium esse sensum verborum comprobavit ; cf. paulo infra. Ceterum, cum totiens ab Athenis defecissent Oropii, eos multo potius arbitramur impatientes iugi externi fuisse.

(3) Vid. supra, cap. II, p. 31; Diod., XIV, XVII, 3.

(4) Dubois, *Les ligues étolienne et achéenne*, p. 170 et seq.; p. 205 et suiv. — Cf. Gilbert, *Handbuch*, t. II, p. 32; p. 123.

(5) Gilbert, *ibid.*, p. 61. Id primus demonstravit Foucart, in *Inscriptions du Péloponnèse*, comm. p. 19-20.

et Oropum non diversam fortunam perpessum fuisse nunc inscriptiones demonstraverunt.

De communibus foederis magistratibus et conciliis nihil hic commemorandum est, quoniam de hac re docti viri, quae comperta sunt, exposuerunt (1). Qui vero Oropi magistratus occurrant, singulos ex decretis enumerabimus.

Rogationes primum ad *senatum* seu βουλὴν feruntur, cuius scita προϐουλεύματα dicuntur; eadem posthac populi seu δήμου suffragiis proponuntur (2). Quapropter in decretis plurimis praescripta haec leguntur : ὁ δεῖνα εἶπεν προϐεϐουλευμένον εἶναι αὐτῷ πρὸς τὴν ϐουλὴν καὶ τὸν δῆμον (3).

In iisdem praescriptis trium magistratuum nomina offendimus : communis Boeotorum archontis, deinde Oropii archontis, postremo sacerdotis Amphiarai. Nec semel tres una occurrunt, nonnunquam archon tantum Boeotorum cum sacerdote, aut rarius Oropius archon et sacerdos, in multis etiam solus sacerdos (4).

Archon Oropius (ἐπὶ πόλεως) annuus creatus fuisse videtur, tum ex comparatione cum reliquis civitatibus, tum quia eponymus est. — *Sacerdotis* munera, quae ad religionem pertinent, singillatim exseque-

(1) Gilbert, *ibid.*, p. 52-61.

(2) In duobus tantum ineditis titulis συνέδριον et σύνεδροι occurrunt; vid. p. 52, n. 2; alia nomina eiusdem senatus haec sunt : Gilbert, *ibid.*, p. 63, n. 1.

(3) *C. I. G.*, 1570, et passim.

(4) Plura de his praescriptis vid. in cap. III, p. 51-52.

mur (1). Verum eundem scimus et civilibus quibusdam officiis fungi, ideoque domicilium illi in urbe, non in Amphiareio, fuisse (2). Nam et multis peregrinos multat et iudicium nonnunquam ipse exercet, quod utrumque ius etiam lege peculiari sancitum est (3).

Ex eadem lege docemur plura iudicia Oropi constituta fuisse, quae tamen nominatim non significantur (4). Inter quae certe *polemarchorum* collegium reponendum est : nam illi et Oropi reperiuntur. In Boeoticis urbibus cunctis, ubi hos magistratus exstitisse constat, polemarchi numero tres sunt. Eorum vero officia non ad rem militarem spectant, ut quis ex nomine interpretari possit : nam Thebis quidem iudiciariis controversiis praesunt, Orchomeni autem aerarium administrandum curant (5). Similia officia eos obiisse titulus Oropius *C. I. G.* 1570 demonstrat (6).

In eodem titulo κατόπται memorantur, quos etiam Orchomeni et Acraephiae deprehendimus; ad illos, ut videtur, ceteri magistratus rationes suas inspiciendas probandasque deferebant (7).

(1) Part. II. cap. III.

(2) Ἐφ. ἀρχ., 1885, p. 94 = *Hermes*, XXI, p. 91, vers. 2 et seq.

(3) *Ibid.*, vers. 10 et seq. Verba haec inter reliqua excipienda sunt : δικάζειν δὲ τὸν ἱερέα (v. 13 et seq.); von Wilamowitz, *Hermes*, XXI, p. 94.

(4) *Ibid.*, vers. 16-17 : ἧχοῖ αἱ δίκαι ἐν τοῖς νόμοις εἴρηται.

(5) Gilbert, loc. cit., p. 62; Foucart, *Bullet. de corr. hellén.*, IV, p. 85-86.

(6) Vers. 20, 26.

(7) Gilbert, *ibid.*, p. 62; cf. n. 2 et 3; *Bullet. de corr. hellén.*, VIII,

Alii magistratui nomen ταμίας ὁ προάρχων impositum est : inde manifestum fit Oropi, sicut in Orchomeno urbe, collegium quoddam quaestorum exstitisse, cui unus inter eos, ac fortasse quisque in vicem, praeerat (1).

Reliquorum etiam magistratuum officia subobscura sunt. Συνηγόρους quoque pecunias publicas tractavisse videmus (2), et συλλογέα exactoris vice functum fuisse iure coici potest : is in decreto supra allato aerarium aperire iubetur, ut inde pecuniam ad vasa reficienda sumat (3). Denique ἱεράρχας ipsum nomen declarat sacri potissimum aerarii curam habuisse (4). — Magistratus igitur illi fere omnes pecuniarum seu sacrarum seu publicarum dispensationi praepositi erant; sed cuiusque officia subtilius et aptius describere non licet.

De ceteris Oropiorum institutis, praeter ea, quae ad proxenicum ius spectant, quaeque alio loco exposuimus (5), omnia nos fugiunt. — Nunc qui fuerint mores, qualis indoles, quae artes gentis Oropiorum, inquirere necessarium esset; sed, quoniam fere omnino deficiunt documenta, pauca admodum de his

p. 72; tituli etiam inediti ex Acraephia urbe κατόπτας offerunt (Holleaux).

(1) Foucart, *Bullet. de corr. hellén.*, IV, p. 5 et 17; cf. quae commentati sumus de titulo quodam, qui Deli repertus est, *ibid.*, X, p. 102-104, ubi ταμίας ὁ προστατεύων in Histiaea urbe occurrit.

(2) Gilbert, op. laud, II, p. 336 et n. 1.

(3) *C. I. G.*, 1570, vers. 33-35; cf. part. II, cap. III.

(4) Vers. 26. Cum ἱεροποιοῖς probabiliter comparari possunt; cf. infra, *ibid.*

(5) Supra, cap. III.

omnibus perspicimus. Crediderim tamen artes nunquam magna diligentia ab Oropiis cultas fuisse. Quarum specimina prope nulla supersunt. Memoremus tamen in *Skala* anaglyphum egregium repertum fuisse, certamen quadrigarum, quo apobatae decernuntur, repraesentans (1) : quod nemo ab Oropio quoquam artifice effectum fuisse probare possit. Sculpturae fragmenta paucissima in sacro effossa sunt nec callidissime elaborata fuisse videntur (2). Quales autem fuerint statuae quae olim in Amphiareio stabant nullo modo nunc interpretari licet. Denique non vasa fictilia, ut in plurimis Graeciae regionibus, hoc loco ab hodiernis incolis, quod sciam, reperta sunt.

Suspicamur igitur illum populum aliis potissimum negotiis studia applicuisse, mercedi scilicet faciendae et mercaturis agendis, quae certe commercia urbis situs et opportunitas loci commendabant. Ceterum id ipsum testatur Dicaearchus in loco quem supra attulimus (3). Ait enim urbem contubernium esse mercenariorum, in qua lucro unice attenti omnes, publicani vero portitores intolerandae avaritiae sint, extremae improbitati iam pridem assueti (4). Idem

(1) Vid. infra, part. II, cap. I.

(2) Fragmenta haec nondum publici iuris facta sunt; de quibus tamen vide part. II, cap. II.

(3) Supra, in extrema cap. II parte; Dicaearch., I, 6-7.

(4) Loci huius non pauca verba mendosa sunt; tamen ita legendus videtur : Ἡ δὲ πόλις τῶν Ὠρωπίων οἰκία θητῶν (supra, p. 32) ἐστι, μεταβόλων ἐργασία, τελωνῶν ἀνυπέρβλητος πλεονεξία, ἐκ πολλῶν χρόνων ἀνεπιθέτῳ πονηρίᾳ συντεθραμμένη. — De iis, quae proxime insequuntur, vid.

etiam versus duos Xenonis ad effingendos eorum mores memorat :

> Omnes publicani, omnes sunt raptores;
> Malus finis sit Oropiis (1) !

Oropiorum inscriptiones fere cunctas communi sermone conditas esse monuimus (2). Eo ipso tempore, quo Hyettii tituli, quo et Megarici dialectum Boeoticam usurpant, Oropi iam obsoletam fuisse apparet, ita ut crediderim incolas peculiari lingua et illis annis usos fuisse, quibus Boeotico foederi alligati erant. Quod etiam testatur locus Dicaearchi, quem paulo supra rettulimus, cum de Oropiis mentionem facit : « Athenienses sunt in Boeotia (3). » Athenienses quidem non recte eos appellat Dicaearchus, qui se totiens Attico iugo exuerint : Boeoti certe origine non erant. Id nunc manifestum fecit titulus unus, praescriptionem dico, quae de rebus sacris ordinandis agit (4). Quam inscriptionem satis antiquam esse existimaverim propterea quod nonnunquam ο pro ου positum est : sic occurrunt ἑκάστο, τὸς, βόληται (5), iuxta ἑκάστου, τοῦ, Ἀμφιαράου. Haec

Bœckh, *Staash.*, l. III, cap. IV, et contra C. Müller, ad loc. (ed. Didot).

(1) Πάντες τελῶναι, πάντες εἰσὶν ἅρπαγες. — Cf. etiam Dicaearch., *ibid.* : τὴν μὲν αἰσχροκέρδειαν κατοικεῖν ἐν Ὠρωπῷ...

(2) Cap. III, p. 50.

(3) Supra, p. 79.

(4) Ἐφ. ἀρχ., 1885, p. 94 = *Hermes*, XXI, p. 91 (titulum commentatus est von Wilamowitz-Möllendorf, quem proxime sequimur); cf. part. II, cap. III.

(5) Apud Homerum βόλομαι occurrit; vid. G. Meyer, *Griech. Gramm.*,

et similia quaedam propter solam scripturae rationem notandae sunt : semel enim ο pro ω scriptum est, ut πόλεος = πόλεως, semper autem οι pro ωι, ει pro ηι, ut τοῖ ἱεροῖ, πετεύροι, εἶ = ἦι, παρέλθει, ἐκτίνει = ἐκτίνηι, ἀδικηθεῖ (quod etiam in Atticis titulis et in Eretriensi saepius usurpatum est). Indicia haec aetatis sunt, quam exeunti quinto saeculo aut ineunti quarto proximam fuisse arbitror (1).

Verum in hoc titulo ea potissimum animadvertenda sunt quae ad dialectum Oropiorum definiendam valent. Inter quae alia vetustiorem Ionicam dialectum referunt : ὥρης, ὑστέρην, ἐκφορὴν, ἰδίει, θυσίει, δραχμέων, δημοτέων (2), τεμένεος, παρεόντος, ἀφικνε(ο)μένων (3), γινέσθων, μέζονα (4). Alia vero ab eadem discrepant : nam ἱερόν, ἑορτή, non ἰρόν, ὁρτή, ut apud Herodotum, scribitur. Ἔλαττον etiam verbum pro ionico ἔλασσον cum Eretriensi et Attica dialectis congruit (5). Id vero peculiariter cum Eretriensi sermone commune notandum est, quod in Oropio rhotacismus occurrit. In titulo enim Eretriensi eiusdem aetatis (6), formae

§ 194, 290, 499. In nostro titulo quoniam non semel ο pro ου occurrit, dubium est utrum haec forma scripta fuerit an communis βούληται.

(1) Von Wilamowitz, loc. cit., p. 97.

(2) Sed ἀδικιῶν, vers. 19.

(3) Litteram uncis inclusam omisit lapicida.

(4) Sic etiam ap. Herodotum.

(5) Praetermitto nonnullas verborum formas, quae singulares apud Oropios apparent : ἐκτιθεῖν, διδοῦν, ἐξεῖν (iuxta εἶναι; cf. Dittenberger, *Syll.*, 60, et add.). In aliis sola scripturae ratio notanda est : εἴρηται pro εἰρέαται; ἐντο(ῦ)θα pro ἐνταῦθα; ἠχοῖ pro ἧχι (cf. ὅποι, ἐνταυθοῖ), ἱερῆον, denique Η(ε)σπέρης. Von Wilamowitz, *ibid.*, p. 98.

(6) Cauer, *Delectus*, ed. II, n° 553.

ὀπόραι, ἄ[ρχ]ουριν, ὀμνυούρας, παραϐαίνωριν advertendae in quibus ρ in locum litterae σ successit (1). Item in Oropio δημορίων apparet (2). Quapropter, cum plerasque singulorum verborum formas Eretrienses et Oropii communes habuerint, quae saepius dialecto Ionicae veteri tribuendae sunt, et hoc potissimum rhotacismo inter reliquos Ionas usi sint, nemini dubium esse videbitur quin una eademque origo, quemadmodum probavimus (3), utrique genti assignanda sit.

(1) Animadvertit etiam Plato de rhotacismo apud Eretrienses, *Cratyl.*, 434 c.

(2) Cf. etiam quae memorat *Etymol. Magnum* s. v. Εὔϊος · (ἀντὶ τοῦ) Εὔσιος ... Ἔθος δὲ ἔχουσι ... καὶ Ὠρώπιοι, ἔνδειαν τοῦ σ ποιοῦντες, ... ὡς καὶ τοῦ ποιῆσαι ποιῆαι... — Idem notat verborum quandam iuncturam, quam peculiarem ait esse Oropiorum; s. v. χαίρειν · χαίρω σε ἐληλυθότα. Ὠρώπιοι οὕτω λέγουσι... — Drabbe, *De Oropo*, p. 25-26.

(3) Cap. II, p. 22-24.

PARS POSTERIOR

DE AMPHIARAI SACRO

PARS POSTERIOR

DE AMPHIARAI SACRO

CAPUT PRIMUM.

DE PRIMA ORIGINE CULTUS, QUI PROPE OROPUM IN AMPHIARAI HONOREM INSTITUTUS FUIT.

Hactenus de Oropi urbis rebus quae comperta sunt, rettulimus; nunc de templo, quod prope urbem Amphiarao dedicatum fuit, et de cultu in honorem herois ibi instituto, quae possunt e scriptoribus aut e locorum investigatione conferri, exponenda sunt. Ac primum de ipso Amphiarao heroe pauca dicemus, ita ut intellegatur, qua de ratione eum colere tum Graeci tum praecipue Oropii coeperint : quam fabulam, apud antiquos pervulgatam, quoniam nunc in

plurimis libris copiose admodum relata est, nobis summatim commemorare sat erit (1).

Inter Melampodidas notissimus Amphiaraus erat. Huic generi e Thessalia prima origo perhibetur : nam Crethei, Æoli filio, Tyro nympha inter alios Amythaonem peperisse dicitur; a quo Bias et Melampus nati sunt. Is cum artem aegrotos homines simul et animalia sanandi dono singulari Deorum excogitasset, clarissimi medici et vatis famam adeptus (2), a Proeto, Tirynthio rege, accitus est, ut aegrotantibus ex impietate Argivis mulieribus subveniret. Propter quod beneficium regni partem sibi poscit Melampus, partem Bianti, tertia ipsi Proeto relicta; postquam autem hoc pacto in consortium regni accepti sunt ambo, Proetum Tirynthe pulsum usque Sicyonem abigunt, deinde pace facta filias eius uxores ducunt. His artibus Melampus, qui posthac aeque atque Æsculapius et Chiron in memoria hominum celebratus est, regnum Argivum cum fratre Biante occupat. Filiis tribus, quos ex Iphianassa Proetide genuit, artem suam communicavit, qui Melampodidae a patris nomine dicti vaticinandi et medendi facultatem, quam acceperant, transmiserunt. Inter nepotes alii, qui e minoribus natu orti sunt, ut privati artem exer-

(1) Plura de hac fabula vid. ap. Preller, *Oropos und das Amphiar.*, 1852; *Griech. Mythol.*, (3e Aufl. Plew), t. II, 353-363, 472-474 et passim; Daremberg et Saglio, *Dict. des antiq.*, art. *Amphiaraus*; Bouché-Leclercq, *Hist. de la divination*, t. II, 19-26 et passim; Roscher, *Ausführl. Lexik. der griech. und rœm. Mythol.*, v. *Amphiaraos*.

(2) Preller, *Griech. Mythol.*, t. II, p. 56, 315, 472-474, qui locos veterum collegit.

cuerunt : uni Antiphati, maximo scilicet natu, deinde filio Oiclei, denique Amphiarao nepoti, regnum una et ars illa cesserunt.

Mox inter Melampodidas et Biantidas bellum ortum. Quin etiam Adrastus, Biantis nepos, finibus pulsus ab Amphiarao, confugit Sicyonem : in qua urbe Polybi gener factus etiam regni hereditatem adipiscitur; postea vero cum Amphiarao foedus facit, ita ut Argos redeat et Amphiarao Eriphylam sororem in matrimonium collocet. Inde huic malorum principia et causa exitii (1). Polynices enim, qui Thebis exsul Argos petit, alteram Adrasti filiam ducit (nam altera Tydei nupserat), mox socerum sibi adiungit ad bellum, quod contra Eteoclem meditatur, adacto etiam fortissimo quoque Argivorum. Superest ut concilietur Amphiaraus, tum propter pietatem et vaticinia, tum propter virtutem in bello insignis. Ille autem coeptis repugnabat, quippe qui arte sua monitus exitum haud faustum praevideret; postremo tamen, urgente Eriphyla, quam oblato aureo Harmoniae torque Polynices corruperat, quanquam invitus arma sumit et inter Septem annumeratur, iussis antea filiis Alcmaeone et Amphilocho ut, si quid patri accideret, poenas a matre repeterent (2).

Dum per Nemeae vallem transgrediuntur, accidit ut puer Opheltes, Lycurgi, qui ibi regnabat, filius

(1) Hom., *Odyss.*, XI, 326.

(2) Plurimi sunt poetarum vel aliorum scriptorum loci qui hanc fabulam commentati sunt; vid. Preller, *Griech. Mythol.*, II, p. 353 et seq.; inter quos notissimos tantummodo versus quosdam elegimus.

infans, a quo nutrix humi ludente paululum discesserat, a dracone correptus devoretur : quae res pro novo omine habita est, et Archemorus nomen puero additum, ut qui morte sua principibus fatalem exitum praenuntiaret. — Denique et postquam Thebas ventum est, Amphiaraus postremum enititur ut socios deterreat, ne temere certissimo casui occurrant : monita enim Deorum contraria esse, et victimarum exta vetare, ne Ismenum flumen transeant ; nequicquam : quin etiam in vatem vehementissime irascitur Tydeus, nedum de sententia desistat. Quoniam igitur nihil prudentissima consilia valent, omnium, excepto Adrasto, morte praedicta, et ipse, ut ait Æschylus, cum fortis non videri, sed esse revera velit, in pugnam procedit (1).

Interfectis vicissim ducibus, soli superstites Adrastus et Amphiaraus in fugam vertuntur, in Atticam tendens ille, hic fortuito mare ad Orientem petens, quem proxime Periclymenus exagitat. Qui cum iam tergo fugientis instaret, ex improviso Iupiter, ut vatem dilectum incolumem servet, ictu fulminis terram dirumpit, et ipsum cum curru, simul Thoantem et Biantem equos et Batonem aurigam, in gurgitem dehiscentem absumit.

Talia ferme, ne singulas res longius exsequamur et discrepantia quaedam omittamus, de Amphiarao a poetis et ab illis, qui heroicorum temporum fabulas

(1) Æschyl, *Sept. c. Theb.*, 592 : οὐ γὰρ δοκεῖν ἄριστος, ἀλλ' εἶναι θέλει. Cf. totum locum Æschyleum (568-625) qui pietatem et virtutem Amphiarai magnificentissimis laudibus extollit.

conscripserunt, composita et tradita sunt (1). Iam inter cyclica poemata refertur unum cui Ἀμφιαράου ἐξέλασις nomen inscribebatur (2); Thebani deinde scriptores, inter quos Pindarus, videntur nonnunquam huius fabulae memoriam renovavisse, nec non et Athenienses tum tragici tum comici poetae, si quidem argumenta fabularum ex titulis et fragmentis, quae supersunt, dispicere quodam modo licet (3). Sicut poetae, ceteri etiam artifices ex eadem fabula, quae de Amphiarao ferebatur, materiam operibus fingendis aut delineandis persaepe sumpserunt (4).

(1) Hac tabula Bouché-Leclercq (*Atlas pour servir à l'Histoire grecque*, p. 16; cf. p. 28) genus Melampodidarum complectitur :

	Melampus		
Antiphates	Mantius		Abas
Oicles	Clitus	Polyphides	Coeranus
Amphiaraus		Theoclymenus	Polyidus
Alcmaeon Amphilochus			

(2) Suid., v. Ὅμηρος; Pseudo-Herod., *Vit. Homer.*, § 9; Kinkel, *Epic. graec. fragm.*, I, p. 59. Id poema non diversum fuisse ab illo, cui *Thebais* inscribitur, censuit Welcker, *Episch. Cyclus*, ed. II, vol. II, p. 320-379; quin et totius poematis argumentum ordinemque restituere aggressus est (vid. p. 375).

(3) Praeter locos, quos collegit Welcker in notis (op. laud.), vide Roscher, *Lexicon der Mythol.*, *Amphiaraos*, p. 302.

(4) Cum a proposito nostro alienum sit unaquaeque promere, quae vasis aut sculptura expressa sunt, vid. Roscher, *Lexicon*, *ibid.*, p. 295-296, 299; Daremberg et Saglio, *loc. cit.*; Baumeister, *Denkmaeler d. alt. Kunst*, t. I, v. *Amphiaraus*. — De anaglypho tamen uno mentio hic facienda est, quod prope *Skala* vicum repertum est, in

Ut unum ex multis aliis exemplum hic prodam, notavit Pausanias heroem inter Septem conspicuum fuisse in celeberrima illa Cypseli cista, quae Delphis dedicata erat : in qua etiam uni illi proximus currus stabat (1).

Quam fabulam cum per Graeciam poetae et artifices vulgaverint et celebraverint, certa etiam loca, in quibus haec acta fuerint, homines designaverunt : de iis vero, ut aequum est, non consenserunt. Sic illam regionem, qua Amphiaraus absumptus fuisset, alii prope Thebas alicubi, alii circa Oropum indica-

quo scilicet loco Oropum urbem exstitisse supra probavimus, part. I, cap. I. Interpretationem Welckeri, qui primus hoc opus delineavit et commentariis illustravit (*Alte Denkmaeler*, t. II, p. 172 et seq.; tab. IX, 15; iterum expressit Baumeister, *loc. cit.*), cum nonnulli postea secuti fuissent, nunc confutavit Koerte (*Die antiken Sculpturen aus Boiotien*, n° 193, in *Mittheil. Instit. Athen*, 1878, III, p. 410-414). Qui probavit non Amphiaraum fugientem ab artifice repraesentatum fuisse, sed potius *apobatam* quadrigis decernentem, quod certaminis genus in antiquis ludis permultis usitatum fuisse scimus (cf. Collignon, *Course d'apobate sur un bas-relief attique*, in *Bull. de corr. hellén.*, VII, p. 458-462; tab. XVII). Anaglyphum verisimile est pro *anathemate* positum fuisse ab ipso *apobata*, qui palmas detulit et quidem in Amphiaraensibus ludis, ut propinquitas locorum indicat. Ceterum opus illud, cuius aetatem in initium quarti saeculi incidere labor et cura testantur, Atheniensis artifex an Oropius effinxerit, non liquet. — Welckeri interpretationem miror etiam a Baumeister repetitam fuisse (anno 1885).

(1) Pausan., X, x. 2. Stat in curru Baton auriga; cf. *Jahrbuch*, III, p. 365.

bant, in diversis scilicet locis, quibus *Harma* nomen : quorum vel tria vel quattuor numerabantur (1) ; nam in illo, ut videtur, vocabulo interpretabantur quandam currus sive ἅρματος herois memoriam inesse. Supervacuum profecto et quodammodo puerile esse videretur litem hanc nunc etiam redintegrare et expedire : omnibus enim nunc liquet, *Harma* nomen non ex Amphiarai casu originem duxisse, verum, cum tale se forte haberet, huic interpretationi posterius quasi ansam dedisse.

Alia quaestio subest, quam explanare magis conducit : utrum videlicet iuxta Thebas, ut plurimi tum antiqui tum recentiores scriptores censuerunt, an prope ipsum Oropum Amphiarai oraculum primum exstiterit. Si enim Straboni credimus, sacrum Amphiarao dedicatum, quod Cnopiae florebat, oraculi cuiusdam iussu Oropum translatum fuit (2). Cnopia autem inter Thebas et Potnias, prope ipsum Harma, nec longe a Mycalesso sita erat, propter viam quae a Thebis ad Chalcidem ducebat. Ibidem refert Pausanias campum quendam septum fuisse (περίβολον), in quo columnae stabant, et Amphiarao dicatum : nam illic fama ferebat heroem in gurgitem fuisse exhaustum; credebat vulgus neque columnis aves unquam

(1) De his locis vide Bursian, *Geogr. von Griechenl.*, I, p. 200 et seq., 217, 252, 333 ; Strab., X, I, 11.

(2) *Ibid.*, X, I, 10 : ἐκ Κνωπίας δὲ τῆς Θηβαϊκῆς μεθιδρύ[θη κατὰ χρησμὸν] δεῦρο τὸ Ἀμφιαράειον. Vorba, quae uncis includuntur, ex Epitomatore ducta sunt. — Item et Lebadeenses, ut aiunt, Trophonii oraculum iubente Pythio Apolline instituerunt, Pausan., IX, XL, 1.

(3) Pausan., IX, VIII, 2.

insidere, neque herbam animalibus seu domesticis seu feris pastum praebere. Animadvertendum tamen Pausaniam minime de oraculo olim hic culto, sed de agello quodam sacro mentionem facere : cuius religionis in ipsa Harmatis propinquitate rationem satis aptam habemus. Solus igitur Strabo testificatur oraculum ibi Thebanos constituisse : an recte, nunc inquirendum superest.

Strabonis auctoritatem Herodoti testimonio comprobatam esse docti viri, ut videtur, existimaverunt. Is responsa ab Amphiarao petita duobus locis commemoravit : cuius verba temere legentibus ambiguum sensum revera praebent. Equidem, si illa accurate perpendere aggredimur, hanc opinionem a scriptore non corroboratam, sed multo potius confutatam esse iudico.

Ita enim se narratio Herodoti altera habet. Cum Croesus in animum inducit Persis minantibus obsistere, celeberrimos Graecorum vates consulit, inter quos et Amphiaraum. Adeunt legati herois templum, et perfectis sacris, quae exsequi mos erat, responsum regi tradunt : quo cognito, profitetur Croesus certissimum se divini numinis pignus accepisse. Quapropter ut vati gratiam meritam persolvat, ditissima dona largitur, clypeum scilicet totum aureum et cuspidem seu lanceam item ex auro factam : « quod utrumque, » addit Herodotus, « nostro adhuc tempore conspici potest in Thebano Ismenii Apollinis templo (1). »

(1) Herod., I, 46, 49, 52.

Alio loco memorat idem scriptor Mardonium, postquam devictus Xerxes in Asiam revertisset, ipsum in Graecia relictum misisse quendam Myn nomine ut responsa ab oraculis peteret, quae tum maxime auctoritate valerent; is igitur mandata exsequitur : « Ut Thebas venit, ait Herodotus, Ismenium prius Apollinem consuluit..., tum etiam externum quendam, non Thebanum, pretio adduxit ut in Amphiarai templo pernoctaret. Nam Thebanorum quidem nulli fas est oraculum consulere hanc ob causam : per responsa monuit eos Amphiaraus ut vellent se aut tanquam vate aut tanquam belli socio uti, alterutro autem abstinerent. Et illi hoc elegerunt, ut armorum ipsis esset socius. Ea igitur est causa, cur nulli Thebanorum ibi incubare fas sit (1). »

Utrum his locis de Thebano quodam an de Oropio Amphiareio Herodotus agat, in incerto fortasse alicui videbitur : nam de uno eodemque locutum fuisse et in hac narratione et in illa, nemo infitiabitur. Id certe dubitationem inicere queat, quod referat scriptor munera illa, quae Croesus miserat, Thebis in templo Apollinis Ismenii servata se vidisse. Inde coiecerunt viri docti (2) oraculum Amphiarai Thebanum nuper aboletum fuisse, ex quo incolae regia dona in proximum Apollinis templum transtulerint. Ipsa vero haec scriptoris verba commonent, nisi fallor, illud, quod perhibent, Thebanum oraculum

(1) Herod., VIII, 134.

(2) Prellerum secuti (*Oropos*, p. 167); Roscher, *ibid.*, p. 300.

nunquam exstitisse. Etenim Amphiareium, quod Croesus consuluit, etiam quo tempore Mardonius in Graecia versabatur, vigebat, imo inter notissima et fidissima reputabatur (anno 479). Quando Herodotus Historias suas composuerit, certis indiciis non edocemur : scimus tamen illum anno 443 Graecia cum colonis Atheniensibus decessisse, qui Thurios urbem condituri proficiscebantur. Aliquanto igitur antea Boeotiam invisit, vix triginta annis postquam Mardonius ab Amphiarao responsum petierat. Ergo intra admodum breve temporis intervallum Thebanum oraculum de prisco honore decidisse concludendum est, imo omnino aboletum fuisse, ita ut vestigia etiam templi oculis subducta essent. De qua re, quae per se valde miranda videbitur, quo pacto ne verbum quidem fecisset Herodotus? Et causae obscuritate involutae sunt, et ipsa res vix credibilis ab omnibus reputabitur.

Praeterea in hoc etiam quomodo non haereremus, quod in oraculo illo nulli Thebanorum pernoctare fas esset? Num quisquam verisimile arbitrabitur Thebanos oraculum condidisse, quo soli omnium non uterentur? Quin et deum illum, quem ut patrium adoptaverant, num *socium* sibi, perinde ac si externus esset, habuissent (1)?

Quae omnia contra, ut mihi quidem persuadeo, luce clariora apparebunt, si de Oropio Amphiareio agitur. Nam illuc Croesus et Mardonius responsa petitu-

(1) Von Wilamowitz, *Hermes*, XXI, p. 104, n. 2.

ros mittunt; quae munera rex Lydorum largitus est, paulo post Thebani ut praemia belli deportaverunt, illis scilicet temporibus, quibus eos in Oropiam irrupisse coiecimus (1); atque eadem fortasse tempestate deus eos commonuit ut se tanquam armorum socio, non vate, uterentur.

Nonnullis deinde labentibus saeculis opinati sunt homines Amphiarai oraculum prius prope Thebas constitutum fuisse, qui nempe crediderint heroem in illa regione cultum accepisse, qua bella gessisset et fato quodam singulari inter numina receptus fuisset; finxeruntque hinc oraculum Oropum transmisisse, et hoc igitur pacto duorum in vicem oraculorum originem interpretati sunt. Hanc opinionem Strabo retinuit tradiditque : cuius fortasse Apollodorus Atheniensis auctor, ut qui ratiocinandi magis viam executus sit quam res ipsas, quales traderentur, compererit (2).

Nunc autem, si demonstravimus Oropios ipsos proprium oraculum iam antiquitus condidisse, neque externa ex regione petivisse, suspicari etiam licet numinis illius naturam quodammodo diversam fuisse ab Argivo heroe, qui cum Septem traditur Thebas impugnavisse. Oropia enim non modico spatio a Thebano agro distat, in quo Septem debellavisse et interiisse referuntur : qua de ratione, cur sedem hic elegissent ut cultum eiusdem dei instituerent,

(1) Supra, p. 26; von Wilamowitz, *ibid.*, p. 105.
(2) Von Wilamowitz, p. 104, n. 2.

non satis liqueret. Quapropter illa opinio placet, de qua etiam plurimi consenserunt, Oropiorum deum principio inter illos reponendum esse, qui subterranei (χθόνιοι) vocabantur (1) : nam et illi Ζεὺς Ἀμφιάραος nomen nonnunquam, Dicaearcho teste, addebatur, et non diversum fuisse eundem a Plutone sive Hade deo Suidas nos certiores fecit (2). De prisca illa Oropii Amphiarai natura indicia non pauca etiam nunc discerni posse videntur, quae in herois Argivi fabulam sese inseruerunt. Ut cetera praetermittam (3), manifestissimum illud excerpam, quod in artificum operibus et carminibus quotiens Amphiaraus occurrit, vel intra reliquos saepissime illi currus quidam proxime apponitur : qui quasi insigne peculiariter subterraneis deis plerumque tribuitur (4). Ita etiam verba quaedam Pausaniae interpretari decet asserentis « primos Oropios Amphiaraum tanquam deum veneratos esse (5). »

Paulatim autem cuncta illa, quae de Amphiarao Argivo excogitaverant poetae, tanquam de suo ipso-

(1) Von Wilamowitz, p. 104, n. 2; cf. Bouché-Leclercq, *Hist. de la divination*, III, p. 334-339; Roscher, *Lexikon*, p. 302.

(2) S. v. πάμψυχος.

(3) Bouché-Leclercq, *ibid.*, II, p. 27; Pausan., II, XIII, 6-7.

(4) Roscher, *Lexikon*, p. 299, 302-303. Unde ipsum Amphiarai nomen ductum sit (ἀμφὶ, ἀράομαι, aut ἀμφὶ, ἱαρός) quaestio obscura est, de qua nihil certi decernendum esse censeo, praesertim cum nihil inde ad significationem nominis explanandam proficiamus; Preller, *Griech. Myth.*, II, p. 176, n. 4; p. 354, n. 1; von Wilamowitz, *loc. cit.*, p. 108.

(5) Pausan., I, XXXIV, 1 : θεὸν Ἀμφιάραον πρώτοις Ὠρωπίοις κατέστη νομίζειν.

rum deo narrata admiserunt Oropii, originem cultus obliti, quem patres instituerant. Quin et quaedam nova addiderunt, ut priscum cultum recentiori fabulae accommodarent : sic narrabant heroem, postquam sub terram haustus fuisset, ut deum rursus in lucem emersisse per fontem illum, qui in Mavrodilissi valle emanat (1). Inde permixta quaedam numinis et ambigua imago evasit, ut quae ex diversis fabulis concreverit. Nec aliter Lebadeensis Trophonii ancipitem originem naturamque testantur scriptores, quem modo inter subterraneos deum, modo inter fabulosos artifices recensebant (2).

Propter duplicem praecipue virtutem, vaticinandi nempe et morbos sanandi, Oropii Amphiaraum venerabantur. Quam utramque etiam Æsculapio vulgus adscribebat. Quaedam tamen inter haec numina intersunt. Nam Æsculapius medendi potissimum facultate praeditus esse credebatur, nec futuri praesensionem habere, nisi quantum pertinet ad morbos, de quibus eum homines consulebant : de ceteris autem rebus vaticinia non edebat. Sed Amphiarai praestantissima virtus scientia et cognitio futuri, quam

(1) Pausan., I, XXXIV, 3 : ταύτῃ γὰρ ἀνελθεῖν τὸν Ἀμφιάραον λέγουσιν ἤδη θεόν. — C : cap. II.

(2) Quae de Lebadeensi Trophonio animadvertit Bouché-Leclercq, *ibid.*, III, 322, eadem, mutatis nominibus, ad verbum et de Amphiarao valent : « Identifié par les uns, en raison de ses attributs, avec Hermès Chthonios (Cic., *De nat. Deor.*, III, 22), relégué par les autres, sur la foi de contes populaires, au nombre des artistes mythiques à côté d'Agamède et de Dédale, ce type indécis n'a pu ni perdre tout à fait, ni reprendre complètement son caractère originel. »

praesertim ex somniorum interpretatione consequitur (1). Ex laudibus etiam, quas de illo poetae cecinerunt, nulla certe frequentior quam quae de pietate et sapientia viri praedicabatur : memoremus praesertim quibus heroem verbis extollat Æschylus :

Οὗτος δ' ὁ μάντις, υἱὸν Οἰκλέους λέγω,
σώφρων, δίκαιος, ἀγαθὸς, εὐσεϐὴς ἀνὴρ,
μέγας προφήτης (2).....

Quin etiam ferebatur inter primos invenisse quasdam divinandi artes et edocuisse homines (3). Ea est causa, cur multi veterum illum traderent ex genere Apolliniorum vatum oriundum esse, et nonnulli, quibus fortasse Homerus auctor, ipsum Apollinis filium fuisse excogitarent (4). Nec dissimiles virtutes Melampodi attribuebantur (5); itidemque subterranea numina propter divinandi artem colebantur : unde liquet quibus de causis diversae illae de Amphiarao fabulae quasi in unum misceri et coalescere potuerint.

(1) Pausan., I, XXXIV, 5 : Δοκῶ δὲ Ἀμφιάραον ὀνειράτων κρίσει μάλιστα προσκεῖσθαι.

(2) *Septem c. Thebas*, 609, et seq.; cf. 602 et passim; cf. Pindar., *Nem.*, X, 9.

(3) Nam porhibebatur ex avium volatu inspiciendo coiecturam futurarum rerum unus ex primis sumpsisse, Bouché-Leclercq, *ibid.*, I, p. 131; a quibusdam etiam πυρομαντείας auctor habebatur; *ibid.*, p. 178.

(4) *Odyss.*, XV, 249-255. A quo non dicitur quidem Amphiaraus filius Apollinis; sod hinc fortasse prima fabulao origo; cf. Roscher, *Lexikon*, p. 302, in fine; Bouché-Leclercq, II, p. 27.

(5) Preller, *op. cit.*, II, p. 472-474.

Ipsa igitur natura vaticinandi facultas Amphiarao insita erat : ea iam quae de illius oraculo narrat Herodotus, deum certiores nos faciunt propter hoc peculiare munus cultum fuisse. Sed hinc etiam eidem illa mox altera facultas adscripta est, qua aegrotantibus succurreret : cum enim mente et ingenio cum Diis commercium et consuetudinem haberet, opem sibi homines nullam maiorem aut magis optabilem existimabant exposcebantque, quam ut ab illo aliquod doloris et malorum levamen consequerentur. Magis igitur atque magis oraculum consulere soliti sunt ut, si quid paterentur, e morbo recrearentur; atque hoc pacto evenit, ut Oropum de iisdem causis adirent, propter quas et Epidauria et Atheniensia Æsculapii sacra frequentabant.

CAPUT SECUNDUM.

AMPHIARAI SACRI DESCRIPTIO.

In quo loco Amphiarai sacrum sive Ἀμφιάρειον aedificatum fuerit, diu ignotum mansit : nam quanquam scriptores in aliqua regione prope Oropum exstitisse referebant, certioribus verbis nusquam tradiderunt, ubi oraculum esset quaerendum (1). — Unus Pausanias templum duodecim fere stadiis ab urbe distare asserit : in quo testimonio erravisse eum recens exploratio locorum nunc manifesto coarguit, sive Oropum in *Skala*, sicut nobis visum est, sive in *Oropo* locare placet (2).

In *Mavrodilissi* quae dicitur valle primum septem titulos reperit Newton, qui ad Amphiarai et Oropi res pertinebant (3) : inde non aegre suspicati sunt omnes ibidem ipsius dei templum olim stetisse, in

(1) Dionys. Calliphontis filii *Descriptio Graeciae*, v. 85; cf. Strabo, IX, I, 22; Dicaearch., I, 6. Liv. XLV, 27 : Inde Oropum Atticae ventum est, ubi pro deo vates Amphiaraus (ms. Amphilochus) colitur.

(2) Pausan., I, XXXIV, 1.

(3) Cf. supra, p. 8.

quo quasi in aerario quodam Oropii acta publica urbis suae deponebant. Ac revera quinque et viginti post annis P. Girard, Gallicae quae est Athenis tum socio, contigit in hoc eodem loco lapidem invenire, in modum termini positum, cui inscriptae hae litterae legebantur satis antiquam aetatem forma et genere scripturae declarantes :

Ὅρος. Μὴ τοιχοδομε(ῖ)ν
ἐντὸς τῶν ὅρων ἰδιώ-
την (1).

Quibus monita indiciis Societas Atheniensis Archaelogica solum hic effodere aggressa est, et fundamenta templi aliorumque aedificiorum patefecit, quae iuxta surgebant. Dimidio horae hinc *Kalamo*, illinc *Markopoulo* vici distant, sesquihora *Skala* sive Oropus vetus.

Quemadmodum cetera illa sacra, quae sanandorum morborum causa colebantur, Amphiareium in situ salubri conditum erat : neque hiemali tempore frigus immodicum patitur locus, neque aestivo nimium calorem. Vallis enim ab Occidente in Orientem vergit, ita ut colles, qui a septentrionali parte surgunt, saevissimos ventos a niveis Euboeae culminibus spirantes cohibeant. Oleae autem, quae imum vallis obti-

(1) Sensus hic est : « Ne quis intra terminos privatus homo aedificet. » Cf. quae de hoc titulo commentatus est P. Girard, in *Bull. de corr. hellén.*, III (1879), p. 437 et seq. Quarti ante Chr. saeculi tempora scriptura testari videtur. — Lapidem nunc in Museo ibidem creato a Societate Archaeologica adhuc servatum ipsi vidimus.

nent, et pinorum nemora, quae clivos et fastigia circumcirca vestiunt, amoenum frigus aestate diffundunt et suavem auram exhalant. Sic et Epidauri Æsculapii sacrum lucus circumplectebatur, et Titanae veteres cupressi dei templum opacabant (1).

Etiamsi investigatio quam suscepit Societas Archaeologica nondum plane confecta est, tamen iam nunc plane agnoscimus cuius generis sint singula aedificia quorum vestigia nuper detecta sunt. Pars tantum illa locorum explorata est, quae inter colles a septentrionibus et sinistram torrentis ripam continetur (2) : hanc ipsam partem torrens, qui leni clivo vallem sequitur, nonnunquam pluvialibus aquis super modum auctus, corrosit, traxitque secum terras et lapides et nonnullos aedificiorum muros. Reliquiae autem plurium aetatum laborem testantur : inter quas non semper plane discernuntur quae cuique tempori tribuendae sunt ; ratio tamen unius

(1) Pausan II, XXVII, 1 : XI, 6 ; P. Girard, *L'Asclépieion d'Athènes*, p. 18-19. Coiecit Kœhler e verbo ἐφ[ύ]τευσε quod legitur in fragmento quodam, etiam Atheniense Æsculapii templum nonnullis arboribus ornatum fuisse; *Mittheil. Instit. Athen.*, II, p. 241, n. 2. — Cf. quae de situ templorum in universum testatur Vitruv., 1, 2, 20 : « Naturalis autem decor erit, si primum omnibus templis saluberrimae regiones, aquarumque fontes in his locis idonei eligantur, in quibus fana constituantur ; deinde maxime Æsculapio, Saluti, et eorum deorum, quorum plurimi medicinis aegri curari videntur. » De Amphiarei situ apud Livium (*loc. cit.*) haec legimus : « templum vetustum est fontibus rivisque circa amoenum. » Quapropter non est cur miremur fontium et fluminum deos ibi cultu honoratos fuisse; cf. infra.

(2) Ædificia quidem omnia ad sinistram rivi ripam videntur exstitisse; sed ager deo dicatus, quem τέμενος complectebatur, etiam ultra dexteram ripam, ut coici potest, patebat.

cuiusque monumenti et tota sacri dispositio in obscuro non sunt : de quibus nunc dicendum est nobis, ea praesertim secutis, quae Dœrpfeld et Leonardos exposuerunt (1).

(Cf. Tab. II in fine disceptationis.)

Ad haec omnia recognoscenda plurimum iuvant tum quae de sacro memorat Pausanias (2), tum quae nuper explanata sunt ex Atheniensis et Epidaurii Asclepieiorum investigatione : nam utriusque simillimam sacrarum aedium formam et dispositionem etiam hic invenimus. Athenis quidem, in medio arcis clivo qui ad meridiem spectat, inter Herodis Attici Odeum et Dionysiacum theatrum, duplex ruderum series duo sacra aetatis diversae declarat, quorum in utroque templum, porticus, fons occurrunt (3). Epidauri sacrum satis accurate et copiose descripsit

(1) Duas tabulas descripsit Dœrpfeld, Πρακτικὰ Ἀρχ. Ἑταιρίας, 1884 (πίν. E) et 1886 (πίν., 3) : in priore tota sacri ichnographia expressa est, sed desunt theatrum et porticus maxima pars (tum enim, anno 1884, nondum explorata fuerant); posterior theatrum solum exhibet ad demensionem maiorem expressum. Desideratur adhuc porticus totius ratio, quae ulterius, ut quidem polliciti sunt, edetur. Ex duabus tabulis nos unam effecimus (Tab. nostram II), theatri descriptione ad eandem mensuram redacta, qua ceterorum aedificiorum. — Quae de his exposuerunt Dœrpfeld et B. Leonardos, vid. Πρακτικά, 1884, p. 88 et seq., p. 95-96; 1886, p. 51 et seq.; 1887, p. 58 et seq.

(2) I, xxxiv, 2-3.

(3) Vid. imprimis P. Girard, *L'Asclépieion d'Athènes*, p. 4 et seq., cuius haec verba promere visum est (p. 5) : « On est frappé, quand on parcourt ces ruines, de la ressemblance qui existe entre la disposition des bâtiments de la première terrasse et celle des bâtiments de la seconde. Sur la première terrasse, la terrasse Est, on remarque...

Pausanias (1), cuius aedificia, nunc a Societate archaelogica in lucem producta, eodem modo disposita apparuerunt (2). Denique, si Pausaniae fidem adhibemus, eadem et in Asclepieio, quod Titanae, non longe a Sicyone, situm erat, conspiciebantur (3). Quae omnia inter se concinunt et etiam in Amphiareio nunc videre licet.

Ac primum cernitur templum quod in Tab. II littera A significavimus; non procul fons (F) occurrit, quem Pausanias prope templum fuisse asserit, deinde porticus ingens (PP) aliquanto intervallo distans, quam pone theatrum est (T) colli subiacens. Totum sacrum, ut mos apud veteres erat, murus seu περίβολος (M) undique concludebat, qui adhuc humo coopertus latet.

les restes de plusieurs monuments sur la nature desquels on ne saurait se tromper. Ces monuments sont : un temple, des portiques, et une source qui s'échappe de la grotte creusée dans le rocher, et transformée plus tard en chapelle. La terrasse Ouest présente un ensemble de constructions identique : on y trouve également un temple, des portiques, une source. Tels étaient les éléments dont se composaient les Asclépieia et, en général, tous les sanctuaires de divinités guérisseuses. Un temple abritait la statue du dieu; dans le voisinage, des portiques, sorte de galeries couvertes, largement aérées, donnaient asile aux hôtes passagers du sanctuaire; enfin, une source fournissait l'eau nécessaire aux traitements élémentaires que le dieu prescrivait à ses malades, aux purifications et aux ablutions des suppliants. » — Cf. tabulam in fine voluminis adiectam 1, quam delineavit E. Lambert. Vid. etiam U. Kœhler, *Mittheil. Instit. Athen.*, II, p. 253 et seq.

(1) Pausan., II, xxvii, 1.

(2) Πρακτικά, 1884, πίν. 1 (Dœrpfeld) et quae in commentario adiecit Cavvadias, p. 54 et seq.

(3) Pausan., II, xi, 6. Hunc locum protulit P. Girard, *loc. cit.*, p. 6.

Ex Amphiarai templo (29 M. × 13 M.) haec supersunt : totus septentrionalis paries qui clivo collis subiectus est, et occidentalis parietis maior pars ; orientalis autem fere totus eversus est, et australem funditus abstulerunt torrentis aquae. Orientali stylobata applicatus adhuc apparet, in quo columnae positae frontem templi decorabant. Interior etiam paries pronaum a cella seiungebat, cuius quaedam vestigia etiamnunc cernuntur. Prostylorum igitur in genus templum referendum est. In cellam ingresso quinque columnarum series in longitudinem disposita ad dextram occurrebant : quarum bases in loco suo stant; his igitur similes quinque, quae ad sinistram adversae surgebant, cum australi muro sunt collapsae. Quos inter columnarum ordines, podium quoddam satis magnum, in medio exstructum templo (a'), videtur ad sustinendum marmoreum Dei signum, de quo Pausanias mentionem facit (ἄγαλμα λευκοῦ λίθου) (1), accommodatum fuisse. — Rationem templi doricam fuisse, e variis indiciis apparet; computavit Dœrpfeld octo columnas in fronte stetisse. Cum vero architectonica quae servata sunt fragmenta egregii laboris non sint, coicere probabile est aedificationem iam provectae aetati, sive Macedonicis, sive

(1) Pausan., I, xxxiv, 2. — Sic et in ceteris eiusdem modi templis statua quaedam dei, seu marmorea, seu lignea (ξόανον), locata erat; id de compluribus tradit Pausanias; stabat et in Atheniensi Asclepieio simile signum, sicut tituli docent; cf. P. Girard, *L'Asclépieion d'Athènes*, p. 17.

etiam primis Romanae dominationis temporibus, adscribendam esse (1).

In posteriore autem templi pariete aperta ianua in quadratum aediculum ducit (a′), de quo non plane liquet sitne adytum secretius quoddam templo adiunctum (quae opinio prius prolata est), an pro vestibulo positum (sicut post recentiorem explorationem visum est) (2).

Ante templum, a fronte decem fere metris distans, moles ingens quadrata, magnis lapidibus constructa, surgebat; nunc undique eruta est; integra tamen fundamenta et nonnulli adhuc congesti lapides amplitudinem et formam operis manifesto demonstrant (D; circa 8,60 × 4 M.). Quod cum maxime altarium speciem referre videatur, non dubium quin illa Ara magna agnoscenda sit, de qua loquitur Pausanias (3). Eam autem ait in quinque partes divisam fuisse, quarum unaquaeque certis numinibus attribuebatur: nempe sacrificia alia in aliis eiusdem arae partibus, prout cuique numini destinabantur, fiebant. — Contra etiam ad septentriones aedificata supersunt anabathra lapidea, seu gradus in orbem ducti (C), unde populus, quantum coicere licet, sacra vel caerimonias rite confectas spectaret.

Singillatim enumerat Pausanias deorum aut he-

(1) Plura de templi descriptione vid. ap. Dœrpfeld, Πρακτικά, 1884, p. 88-91.

(2) *Ibid.*, p. 90; 1886, p. 56.

(3) Πρακτικά, 1884, p. 91-92.

roum nomina, qui hic honorem accipiebant (1) :

in prima parte colebantur Herakles, Zeus, Apollon Paeon;

in altera heroes et heroum uxores (2);

in tertia Hestia, Hermes, Amphiaraus et filius eius Amphilochus;

in quarta Aphrodite, Panakeia, Iaso, Hygieia, Athena Paeonia;

in quinta Nymphae, Pan, Achelous et Cephisus fluvii.

Cum illo Pausaniae loco merito contulit B. Leonardos titulum quendam in sacro repertum et nomina exhibentem deorum quibus tertia pars arae assignata erat (3) :

ΑΜΦΙΑΡΑΟ	Ἀμφιαράο[υ]
ΑΜΦΙΛΟΧΟ	Ἀμφιλόχο[υ]
ΕΡΜ	Ἑρμ[οῦ].

Quaesitum est, qua de ratione numina omnia illa

(1) *Loc. cit.* — Formam nominum graecam in translatione servavimus.

(2) Horum non memoravit Pausanias singula nomina.

(3) Ἐφημ. Ἀρχ., 1885, col. 155, n° 12. — Memorat idem Leonardos (Πρακτικὰ, 1887, p. 62-63) anaglyphum quoddam, in Amphiareio repertum, in quo apparent Amphiaraus et Hygieia; in angulo conspicitur Panis caput tibiam inflantis. — Statua etiam undique mutila deum repraesentare videtur baculo, quem circum anguis implicitus se erigit, innixum (*ibid.*, p. 62). Haec ferme sola sculpturae monumenta inventa sunt. — Refert Philostratus, *De imagin.*, I, 26, etiam Veritatis et Somni imagines in Amphiareio exstitisse, illam quidem albo vestitu ornatam, hunc item candido, deinde superposito nigro amictu depictum manibusque cornu gerentem, ut qui somnia vera inde diffunderet.

in consortium honoris et cultus (κοινοβωμίαν) Oropii admiserint (1) : causae satis perspicuae videntur. Primi Herakles et Zeus nominantur, tum quia illius cultum iam a priscis temporibus in Boeotia celebratum fuisse constat, hic pater et princeps Deorum omnium erat, tum quia ambos ἀλεξικάκους antiquitus Graeci vocabant; et simul Apollo Paeon (s. Paean) quippe qui hominum calamitatibus et ipse auxilietur, quapropter aliis in locis etiam una cum Æsculapio colitur (2). Reliquorum autem deorum alii propter vaticinandi facultatem coluntur, inter quos Amphiaraus et filius Amphilochus, Hermes (3) et Hestia (4); alii quia medicinae artem exercebant, ut Aphrodite (5), Athena Paeonia, Panakeia, Iaso Hygieia-

(1) Κοινοβωμίαν verbum Æschylus usurpavit in *Supplic.*, v. 222. Dei autem quibus una eademque ara communis erat, σύμβωμοι vel ὁμόβωμοι dicebantur; mos ille frequentissimus apud Graecos erat; vid. C. Mauror, *De aris Graecorum pluribus deis in commune positis*, Darmstadii, 1885, qui de loco Pausaniae supra allato disseruit, p. 55 et seq.

(2) Exempla prodit Maurer haec (p. 29 et seq.) : *C. I. A.*, III, 171; *C. I. G.*, 3577, 5974; *Bull. de corr. hellén.*, IV, p. 139; VII, p. 132; Ἐφ. Ἀρχ., 1883, p. 30, n° 10; p. 32, n° 14; p. 91, n° 32; p. 211, n° 10.

(3) Nam Hermes nonnunquam a poetis ἀγήτωρ ὀνείρων dicitur, *Il.* XXIV, 343; *Hym. in Merc.*, 14 (Maurer).

(4) De Hestia quae dicitur Πυθόμαντις prodit Preller (*Griech. Myth.*, I, p. 346) locum Sophocleum ex *Œd. reg.*, 965, de cuius sensu tamen ambigitur.

(5) Cf. praesertim titulum Rhodium quem publici iuris fecit J. Martha, *Bull. de corr. hellén.*, IV, p. 139 et seq. (v. 11 et seq.); Asclepios, Apollon Aphroditeque societatem cultus et templi habent.

δωρεὰν [δὲ]
τὸ τέμενος τοῦ Ἀσκλαπ[ι]-
οῦ καὶ τοῦ Ἀπόλ[λωνος καὶ]
τᾶς Ἀφροδίτα[ς]...

que ; alii denique qui huic regioni vel fontibus et rivis loci praesidebant, heroes scilicet et heroum uxores, Nymphae, Pan fluviique Achelous et Cephisus. Cuncti igitur aut peculiares regionis dii sunt, aut naturam simillimam Amphiarao habere credebantur, et propter hanc congruentiam cultum in Amphiareio adepti erant.

Non procul abhinc platani duae fontem vivae aquae umbra protegunt, qui satis abunde manat (1); is est profecto, cuius mentionem apud Pausaniam invenimus : « Est etiam Oropiis fons iuxta templum, quem Amphiarai vocant : neque in eum sacra faciunt, neque aut ad lustrationem aut ad manus lavandas ea aqua uti fas putant; sed si quis oraculi monitu morbo sanatus fuerit, mos est ut argenteum vel aureum nummum in fontem demittat : hac enim evasisse Amphiaraus dicitur iam deus factus (2). » — Ex his etiam verbis apparet Amphiarai balneas (Ἀμφιαράου λουτρά), quas veteres scriptores memoraverunt, non ad hunc fontem neque tamen, ut suspicatur Preller, prope urbem exstitisse, sed in alia potius quadam parte sacri quaerendas esse (3).

(1) Πρακτικά, 1884, p. 94; compositionem aquae dedit Chrestomanos.
(2) Pausan., I, xxxiv, 4. Cf. supra, part. II, cap. I. p. 101.
(3) Preller, *Oropos und das Amphiar.*, p. 148-149. Animadvertendum sane est, ex omnibus locis, quos collegit Preller, nullum agere de balneis prope Oropum aut Amphiareium Oropium sitis; aegre tamen coicias in alio quodam Graeciae loco balneas, de quibus mentio fit, exstitisse. Cf. Xen., *Memor.*, III, 13, 3; Bekker, *Anecd.*, p. 23, 4; p. 81, 24; Athen., II, p. 46 C-D; Stephan. Byz., s. v. Ἅρμα. Titulorum quaedam fragmenta, nondum edita, λοετρὰ commemorant (Πρακτικά, 1887, p. 63).

Per magnam et spatiosam viam aditus ad templum patet, secundum quam ad septentriones positae ordine longo statuarum bases consistunt; de quibus iam supra multa diximus (1).

Si autem ad extremam huius viae partem Orientem versus pergimus, maximam porticum offendimus, cuius fundamenta in totam longitudinem effossa nunc apparent (110 × 11 M.) (2). Facies aedificii, quae ad meridiem sive ad rivum conversa est, accessum intrantibus inter columnas praebebat; stylobata quidem solus superest; ex quo apparet columnas (earum numerum novem et quadraginta computat Leonardos) doricae rationis fuisse. Reliquae facies tres parietibus clausae erant. Praeterea recessus exiguos duo, seu pteromata, ab utroque latere interiores parietes, ad perpendiculum frontis directi, discriminabant; quorum pteromatum spatio detracto, etiam reliquae partis 95 metrorum longitudo est. Rursus tum interiorem porticus tractum septem et decem columnae, ionicae rationis, et secundum longitudinem dispositae, bifariam dividebant. Circuitum denique totius porticus instructum sedibus intus fuisse constat, manentibus adhuc podiorum marmoreis fundamentis.

Eiusmodi aedificia, ut supra memoravimus, in Atheniensi et Epidaurio Asclepieis reperiuntur; quapropter nulli dubium esse potest, quin ad eundem usum haec omnia essent accommodata. De Athe-

(1) Vid. partem I, cap. III.
(2) Πρακτικὰ, 1884, p. 92-93; 1887, p. 59-60.

niensi iam pridem suspicati sunt Kumanudis et Kœhler (1), in hac porticu consedisse eos qui deum consultum venirent; quae opinio, per se satis probabilis, certe de Epidaurio valet, cum asserat Pausanias porticum templo propinquam fuisse, in qua supplices recumberent : τοῦ ναοῦ δέ ἐστι πέραν, ἔνθα οἱ ἱκέται τοῦ θεοῦ καθεύδουσιν (2) ; et reipsa in ea plurimi tituli effossi sunt, quibus qui morbo levati sunt gratias deo agunt (3). Porticum igitur, quam descripsimus, eiusdem naturae fuisse forma et dispositio manifesto denotant; haec est illa, quam inscriptio quaedam κοιμητήριον vocat (4), situ ipso ad id reservata, quippe quae meridiem spectet, a contraria autem parte clausa frigus et Boream arceat.

Postremo pone porticum theatri reliquiae conspiciuntur (5) : quod admodum artum fuisse orchestrae diametrus (circa 12 M.) demonstrat. Parietum, quibus scaena et proscenium conscribebantur, fundamenta integra sunt. Prope theatrum inventa sunt fragmenta quaedam marmorea, de scaenae pariete delapsa, in quibus inscriptio haec incisa erat :

ΤΗΝΣΚ·ΝΗΝΚΑΙΤΑΘΥΡΩΓ......ΓΕΝΟΜΕΝΟΣ..ΦΙΑΡΑΩΙ

Τὴν σκ[ή]νην καὶ τὰ θυρώ[ματα].....[ἱερεὺς] γενόμενος [Ἀμ]φιαράωι (6).

(1) Kumanudis, Πρακτικὰ, 1876, p. 23; Kœhler, *Mitth. Instit. Athen*, II, p. 253 et seq.; cf. P. Girard, *L'Asclépieion d'Athènes*, p. 19.

(2) Pausan., II, XXVII, 2.

(3) Kavvadias, Πρακτικὰ, 1884, p. 60-61 ; cf. tab. III in fine voluminis adiectam.

(4) Cf. infra, cap. III.

(5) Πρακτικὰ, 1886, p. 51 et seq.; cf. πίν. 3.

(6) *Ibid.*, p. 53.

Frons etiam proscenii ad orchestram conversa ordine decem doricarum columnarum ex albo marmore decorabatur (column. alt. $1^m,883$; crassit. $0^m,23$ — $0^m,30$). Epistylii, quod his impositum erat, quattuor fragmenta servata sunt, in quibus haec inscripta leguntur :

ΓΩΝΟΘΕΤΗΣΑΣΤ · ΠΡΟΣΚΗΝΙΟΝΚΑΙΤΟΥΣΠΙΝ
... ἀ]γωνοθετήσας τ[ὸ] προσκήνιον καὶ τοὺς πίν[ακας] (1).

Graduum autem tantum primus ordo obiacet; ante quem, circum orchestram, adhuc quinque marmoreae sedes supersunt, quae omnes in ima parte inscriptionem hanc ostendunt :

ΝΙΚΩΝ	Νίκων
ΝΙΚΩΝΟΣ	Νίκωνος
ΙΕΡΕΥΣ	ἱερεὺς
ΓΕΝΟΜΕΝΟΣ	γενόμενος
ΑΜΦΙΑΡΑΩΙ	Ἀμφιαράωι (2).

(1) *Ibid.*, p. 54. Πίνακες de quibus agitur, item marmorei, ut videtur, intercolumnia claudebant.

(2) *Ibid.*, p. 55.

CAPUT TERTIUM.

DE MAGISTRATIBUS TEMPLO PRAEPOSITIS ET DE RERUM SACRARUM ADMINISTRATIONE.

Magistratus, qui rebus sacris praesunt, ii sunt : sacerdos, neocorus, hierarchae.

Sacerdotem annuum fuisse constat : nam is cum archonte Boeotorum et cum Oropio saepissime ut eponymus titulis praescribitur; illi autem uterque in annum creati erant (1). Praeterea nullius sacerdotis nomen, quod sciam, in decretis proximae adscribendis aetati bis occurrit.

Quae officia sacerdotis fuerint, omnia quidem non novimus; quaedam tamen commemorantur in titulo nuper reperto, qui praescripta nonnulla de sacris rebus complectitur (2). Sacerdos non necesse est perpetuo in sacro habitet; hieme enim, cum videlicet eo tempore peregrini non adveniant, et ipse abest; verum, « ubi hibernum tempus praeteriit, usque ad

(1) Cf. supra, part. 1, cap. III, p. 51, et cap. V, p. 80.

(2) Κανονισμός. Ἐφ. Ἀρχ., 1885, p. 93 et seq. = *Hermes*, XXI, p. 91.

illud, quo terra aratur (1), » sacrum frequentare iubetur, nec plus tres dies continuos abesse, nec minus decem per unumquemque mensem dies in eo manere (2). Ibi cogit neocorum sacro curando et peregrinis excipiendis secundum legem operam dare (3).

Custodia praeterea sacri penes illum est; nam si quis deliquerit vel peregrinus vel civis multa afficitur a sacerdote, non tamen plus quinque drachmis, pro qua pecunia pignus exigitur; quae si statim solvitur, coram sacerdote in aerarium demittenda est (4). Ius etiam dicit idem, quotiens in sacro peregrinorum aut civium aliquis noxam accepit; de multis, quae plus trium drachmarum sunt, ea potissimum iudicia, quae lex instituit, decernent (5). De his delictis autem, quae in sacro commissa sunt, eodem die lis vocanda est; sin autem pars adversaria obsistit, in insequentem diem causa remittenda (6).

Quotiens autem sacerdos adest, ipse sacra facit; verum non necesse est, ut intersit. Utique partem aliquantam victimarum, humerum nempe, de more accipit (7) : quod et in cunctis omnium civitatum sacris usurpatum fuisse scimus.

Nec plura de muneribus et officiis sacerdotis comperimus. Huic adiunctus est, quem iam nominavi-

(1) Vers. 3.
(2) Vers. 2-6.
(3) Vers. 6-8.
(4) Vers. 9 et seq.
(5) Vers. 13 et seq.
(6) Vers. 18 et seq.
(7) Vers. 25 et seq.; 32 et seq.

mus, neocorus. Is quasi vicarius nonnunquam sacerdotis muneri succedit. Et ipse igitur custodit sacrum, et solvendis sive multis sive iustis peregrinorum stipendiis consulit (1). In nonnullis aliorum deorum templis zacorus occurrit, cuius munera certe cum huius quam aptissime congruunt (2).

Neque sacerdotem neque neocorum aerario sacro administrando praepositos fuisse apparet. Hoc munere potissimum hierarchae fungebantur, quos tres numero fuisse inscriptionis cuiusdam fragmentum nos docet (3). Idem eorum munus esse, atque hieropoeorum, quos Attici et Deliaci tituli, inter alios, exhibent, verisimile videtur (4).

Maior pars redituum sacro ex agris, qui ipsi addicti erant, proveniebant. Solebant templorum bona locari; id Deli et Eleusine, exempli causa, usitatum erat. Amphiarai praedia quomodo administrarentur,

(1) Vers. 23 et seq.; 39 et seq. : in tabula nomina incubantium inscribit.

(2) Cf. P. Girard, *L'Asclépieion d'Athènes*, p. 27 et seq.

(3) Praescriptio inediti catalogi ἀργυρωμάτων : ἱεραρχούντων Νικοκλέους τοῦ Δαμάρχου, Ἱέρωνος τοῦ Νικοβίου, Φιλιστίδου... [τάδε] ἀργυρώματα τοῦ θεοῦ Ἀνφιαάρου... In spatio vacuo nomen unum deest (Philistidis patronymicum).

(4) Ἱεράρχαι etiam commemorantur *Bull. de corr. hellén.*, V, p. 46; VIII, p. 55.

plane nescimus. Quo usque etiam paterent, ignoramus; tantum liquet, terminos eorum nonnunquam translatos fuisse; nam, ut rettulimus, a L. Cornelio Sulla pedum mille undequaque templo concessi sunt (1). De aetate tamen quadam certiora testimonia praesto sunt : Amphiarai enim templum inter illa occurrit, quae primitias frugum (ἀπαρχάς) Eleusiniis numinibus anno 329/8 persolvunt (2). Pro huius parte hordei viginti medimni, frumenti quinque medimni et novem ἡμιεκτεῖα deferuntur (3). Scimus autem lege ita sancitum esse, ut pro centum hordei medimnis sextarius (ἑκτεύς) solvendus esset, pro totidem frumenti medimnis dimidium sextarii (ἡμίεκτον) (4). Quam si rationem exsequimur, computamus Amphiarai praedia hoc anno hordei duodecim milia medimnorum, frumenti sex milia et nongentos extulisse (5). Quarum frugum pretium circiter septuaginta septem milium drachmarum aestimari potest (6) : ex quo apparet, quanti haec praedia fuerint, praesertim si animadvertimus hoc potissi-

(1) Cf. supra, part. I, cap. IV.

(2) Ἐφ. Ἀρχ., 1883, p. 110 et seq. = Foucart, *Bull. de corr. hellén.*, VIII, p. 195 et seq. — Supra, part. I, cap. II, p. 44.

(3) Vers. 59-60.

(4) Foucart, *ibid.*, p. 202 et seq.; cf. *Bull. de corr. hellén.*, IV, p. 225 et seq.

(5) Foucart, *ibid.*, VIII, p. 209; p. 211 : « Quel est le rapport entre les quantités produites et les prémices ?... C'était un ἑκτεὺς par 100 médimnes d'orge, 1/600; un ἡμίεκτον par 100 médimnes de froment, 1/1,200. En multipliant les quantités marquées dans la liste des prémices par 600 pour l'orge, par 1,200 pour le froment, on obtiendra le chiffre de la production de l'année. » Cf. p. 213.

(6) *Ibid.*, p. 209, 213.

mum anno modicum segetum proventum agros tulisse (1).

Pecuniae sacrae in cista quadam sive aerario (θησαυρῷ) servabantur, de quo inscriptiones mentionem faciunt. Ac praeter eos reditus, quos nuper commemoravi, accedebant pecuniae quas praestare cogebantur quicunque deum de morbo quolibet consulendum invisebant : « Donum afferat, — ita se lex habet, — qui deo se curandum praebet non minus novem obolos argentum signatum, quod in aerarium iniciat coram neocoro (2). » Accedunt et pecuniae quae pro multis impositis a sacerdote exiguntur quaeque coram ipso in aerarium demittendae sunt (3).

Praeterea Amphiarai templum, quod et in reliquis templis fiebat, donariis ornatum erat, quae peregrini huc afferebant atque illi potissimum, qui dei beneficia experti fuerant. Sacrae mensae, quae probabiliter ante statuam dei locata erat, imposita conspiciebantur ditissima munera aurea argenteaque, inter quae aurea phiala peculiariter memoratur, qua sacerdos ad libationes faciendas utebatur (4). Aliae maximi pretii res parietibus affixae erant, nummique aurei et argentei, votivaeque tabellae et sigilla manus vel

(1) *Ibid.*, p. 212; Kœhler, *Mittheil. Instit. Athen.*, VIII, p. 211 et seq.

(2) Κανονισμός, vers. 20-24. De verbi θεραπεύεσθαι significatione, vid. P. Girard, *L'Asclépieion d'Athènes*, p. 26, n. 1. — Ærarium occurrit et in hoc titulo et *C. I. G.*, 1570.

(3) Supra, p. 118.

(4) *C. I. G.*, 1570 a, vers. 9-10. Mensa fortasse illa erat, in qua sacrae epulae comparari solebant; vid. Girard, *L'Asclépieion*, p. 17; Hermann, *Lehrbuch*, II, § 17, 15.

oculos vel corporis varias partes effingentia, prout quisque significare volebat se hoc aut illo morbo levatum fuisse (1).

Ac solebant in templis hieropoei quotannis catalogum rerum sacrarum condere, quas ineunte anno acceperant rursusque iis tradebant, qui deinceps magistratum eundem gerebant. In Amphiareio quoque mos is erat (2); et index huius generis repertus est, qui res argenteas (ἀργυρώματα) enumerabat; sed primi versus tantummodo legi nunc possunt; ceterum titulus nondum editus est (3).

Alius titulus, qui ad easdem res sacras spectat, iam pridem praesto est, decretum nempe, eo anno latum, quo Straton archon Boeotorum fuit et Epicrates sacerdos Amphiarai, et rogatum a Pirge Archippidis filio (4). De vasis et donariis reficiendis agitur. Multa enim inter haec, — ut ipsius decreti verba usurpem, — vetustate obsoleta erant, multa de parietibus conciderant (5).

Quamobrem in hunc ferme modum censet Pirges :

« Ut deligantur e cunctis civibus viri tres : quibus tradant hierarchae collapsos nummos, eos quidem

(1) Inter eius modi donaria, nonnulla hic memoremus; *C. I. G.*, 1570 *b*, passim : Μέλανος προσώπιον, ... Φιλίας τιτθός, ... Ἀρσίνου αἰδοῖον, ... [Ἵ]ππωνος αἰδοῖον, ... Φαττίου χείρ... — Cf. Girard, *L'Asclépieion*, part. II, cap. IV, § 3, p. 114 et seq.

(2) *C. I. G.*, 1570, 8-9.

(3) Huius iam non semel mentionem fecimus; vid. p. 53, n. 1, p. 57, p. 119, n. ?.

(4) *C. I. G.*, 1570 = Newton, *Inscript. Brit. Mus.*, part. II, CLX.

(5) A, vers. 4 et seq.

numero emensi (1); tradant item argentea donaria quae obsoleta sint, abraso plumbo albo (2), aurea denique donaria non signata (ἄσημα) quaecumque acceperant, et auream phialam. Omnia haec iterum coquenda sunt, deinde appendenda (3), ut tradantur, ponderis ratione habita (4), ab hierarchis, quibus adsint polemarchi et catoptae; quaecunque autem sic transmiserint, eorum rationem reddant apud catoptas (5).

» Magistratus autem, qui haec donaria receperint, si qua refici possunt, reficiant; ex reliquis vero ἀργυρώματα nova deo comparent, advocatis de hac re decernenda polemarchis et hierarchis et synegoris Oropiorum; operam totam conficiendam coram catoptis locent (6). Postquam auri collegerint et quod signatum est et quod non est (ἐπίσημον et ἄσημον), triumviri item phialam auream conficiendam locent, de massa tamen auri data specimine relicto (7); quae phiala postquam confecta fuerit, hierarchis rursus tra-

(1) Vers. 13-14. Id est, numerando quot res fuerint. In actis enim, quae παραδόσεις vocantur, res singulae in classes distribuuntur aut numero (ἀριθμῷ) aut pondere (σταθμῷ).

(2) Vers. 15. Translatione Boeckhii hoc loco utor : « abradentes plumbum album. » De his verbis vide *C. I. G.*, I, p. 752.

(3) In vers. 19-20 quaedam verba praetermitto, quorum significatio subobscura est; vid. Boeckh, *ibid.*

(4) Vers. 20 : σταθμῷ. Vid. supr., n. 1.

(5) Vers. 12-22.

(6) Vers. 27 : Hic sensus est verborum : τὰς ἐγδόσεις ποιούμενοι; cf. vers. 28 : ἐγδότω ἡ ἀρχή. Boeckh : « operis faciendi locatio. »

(7) Vers. 31. Boeckh : « de massa auri ad phialam conficiendam dati relinquens specimen. »

datur appendaturque coram polemarchis et catoptis (1).

» Tum syllogeus, aperto aerario, quemadmodum lex iubet, sumat pecuniam quae impensae par sit, unde mercedes solvantur conductori (ἐργώνῃ), sicut pactio facta fuerit (2); sin autem in aerario pecuniae non satis sit, is quaestor, qui collegio quaestorum praeest, summam suppleat, de qua rationem faciat apud catoptas (3).

» Praeterea, ne hoc pacto memoria eorum aboleatur, qui donaria consecraverint, catalogum donariorum tum reficiendorum, pondere et numero notatis, in marmorea tabula conscribant hierarchae cum nominibus dedicantium, et iuxta simul indicent, cuius quisque sit civitatis (4). Decretum etiam hoc, postquam approbatum fuerit, in eodem marmore exarent collocentque in loco quod aptissimum visum fuerit; impensam denique praestent (5).

» Postremo, si quis magistratuum quorum haec munera sunt, officio non fungatur, poenas iustas, de quibus lege peculiari sancitum est (6), luat, ut qui pecuniis sacris detrimentum attulerit (7). »

(1) Vers. 22-33.

(2) Lectionem Newtonii sequor. Paulo aliter Boeckh : cuius lectionis sensus minus placet.

(3) Newtonii supplemento utor; vid. eius commentarium. Quae si lectio non probatur, sensus tamen loci non obscurus est. — Vers. 33-39.

(4) Vers. 39-44.

(5) Vers. 44-48.

(6) Vers. 50-51. In structura verborum aliquid desideratur. Coiecit Newton verba κατὰ τὸν τῆς οἰκονομίας initio legis cuiusdam praemissa fuisse.

(7) Vers. 48-52.

Decretum insequitur index donariorum quae reficienda erant (1); nomina dedicantium et pondus pretiumque donarii cuiusque iuxta occurrunt, quemadmodum in decreto praescribitur. Praeter ipsa donaria enumerantur etiam argentea ornamenta, tum nummi, tum quae signata non sunt, illa videlicet, quae de donariis deciderant (2). Ex quo catalogo manifestum fit mundum sacrum Amphiarai (κόσμον) non ita locupletem et opulentum fuisse. Dona enim lauta et magnifica admodum rara sunt. Inter ea tripoda offendimus, quem dedicaverat Corinthius Mnasicles, quique octogentarum tredecim drachmarum aestimatur (3); mamma quaedam feminea quingentarum quattuor drachmarum est (4). Tria donaria plus centum drachmis, circa decem alia plus quinquaginta constant (5); verum pleraque vilissimi pretii sunt, ut exempli causa multa tetrachma et drachmae.

Non cuncta certe, quae in templo dedicata erant, catalogus ille complectitur, sed ea tantum, quae refici iubentur; tamen indicio hic titulus est, quanti donaria pleraque aestimanda fuerint. — Comperimus etiam ex eodem quanta cura diligentiaque in rebus sacris administrandis impenderetur. Permulti enim magistratus operae perficiendae praeponuntur, in qua, ut videtur, nihil molimenti inerat; praeterea

(1) *C. I. G.*, 1570 *b*.

(2) Nam donariis ipsis nonnunquam nummi, ut ornamenta, affixi erant.

(3) Vers. 14.

(4) Vers. 18.

(5) *Ibid.*, passim.

de rebus vel minimis cautum est. Idonei curatores eliguntur, his adiunguntur hierarchae, quorum proprium munus aerarii cura erat; quin etiam omnes fere una adhibentur, qui res aut pecunias civiles tractabant; horum cuiusque officia subtilissime definiuntur; denique poenae statuuntur, si quid minus accurate peractum fuerit.

CAPUT QUARTUM.

DE CULTU LUDISQUE IN AMPHIAREIO CELEBRATIS.

De cultu qui civitatis sumptibus in Amphiareio celebrabatur, nullum documentum ad nos pervenit. Id tantum suspicari licet, caerimonias easdem probabiliter fuisse atque in Atheniensi Asclepieio : de quibus ex honorariis sacerdotum titulis certa indicia duci possunt (1). Quotannis illic sacrificia publice fiebant, quae decernebant leges. Quarum praescriptis definiebatur qualis in quoque sacrificio victima immolanda foret. Quoad caerimoniae peragebantur, templum locupletissimis ornamentis decoratum erat, et veterrima dei simulacra vestibus induta stratis lectis recumbebant (2) : quae omnia et in multis sive atticis sive graecis sacris rite conficiebantur. Etiam ante illum diem, quo perpetraretur sacrificium, παννυχὶς quaedam seu pervigilium agebatur. Ac verisimile videtur

(1) P. Girard, *L'Asclépieion d'Athènes*, part. I, cap. III, p. 37 et seq.
(2) Στρῶσις τῆς κλίνης et κόσμησις τῆς τραπέζης.

iisdem fere sacris in Amphiareio Oropios usos esse, quo tempore ludos celebrabant. De his autem ludis certiores facti sumus.

Sollemnia haec Ἀμφιάραα vocabantur. Qua aetate instituta fuerint, non liquet. Circa medium alterius a. C. n. saeculi primum occurrunt, in decreto nempe quo Oropii Hieronem Ægiratem honoraverunt, cuiusque aetatem supra constituimus (1).

Ex eodem hoc loco concludi potest duo genera sollemnium fuisse, et quae maiora Amphiaraa vocabantur, et quae minora (2).

Paulo post, Sullanis videlicet temporibus, eadem sollemnia alio nomine, quo Romanae victoriae memoria in perpetuum propagaretur, Ἀμφιάραα καὶ Ῥωμαῖα dicuntur (3). — Constat ea tum quidem in quandam notitiam et famam pervenisse : nam in titulo Halicarnasseo vir quidam a civibus suis tum propter alia honoratur, tum propter id, quod palmam duplicem tulerit in ludis Amphiarais et Romanis, quos Oropii celebrant (4).

Quo potissimum anni tempore haec sollemnia agerentur, non traditum est ; crediderim tamen ea in aestivos menses, quibus peregrini sacrum frequentabant, incidisse. — Ceterum quae genera certaminum edi solerent, nonnulli agonistici tituli nos edocent.

(1) Supra, part. I, cap. III, p. 63, vers. 33-35.

(2) *Loc. cit.* : Ἀμφιαρά[ων] τῶμ μεγάλων.

(3) Vid. supra, part. I, cap. IV.

(4) O. Rayet, *Revue archéolog.*, XXIV (1872), p. 109 : Ἀμφιάραα καὶ Ῥωμαῖα τὰ τιθέμενα ὑπὸ Ὠρωπίων.

Alia musica et poetica, gymnica alia, alia denique equestria erant.

Agonistici tituli cuncti, quos novimus, catalogi victorum sunt. In quibus ordo ludorum certus et immutabilis est. Ac primum agonum musicorum et poeticorum victores occurrunt; illi autem hunc in modum conscripti sunt, postquam aetas tituli per magistratuum nomina indicata est, quae iuxta nonnunquam agonothetes praescribitur :

Οἵδε ἐνίκων ·
σαλπιστής,
κῆρυξ,
ἐγκωμίῳ λογικῷ,
ἐγκωμίῳ ἐπικῷ,
ῥαψῳδός,
ἐπῶν ποιητής,
αὐλητής,
κιθαριστής,
κιθαρῳδός,
ποιητὴς σατύρων,
τραγῳδός,
κωμῳδός,
ποιητὴς τραγῳδίας et iuxta ὑποκριτής,
ποιητὴς κωμῳδίας — ὑποκριτής,
ἐπινίκιον.

Gymnica et equestria certamina item in hunc semper ordinem referuntur :

δόλιχος,
στάδιον,

πένταθλον,
δίαυλος,
ἵππιος,
πάλη,
πυγμή,
παγκράτιον,
πωλικὴ συνωρίς.

Certaminum eorum uniuscuiusque deinceps participes primum παῖδες commemorantur, deinde ἀγένειοι, denique ἄνδρες. Ultimus huius generis agon ὁ ὁπλείτης dicitur.

Quae certaminum genera cuncta ex multis inscriptionibus tum Boeoticis tum externis iam pridem cognita habemus (1). Hoc tamen perraro fit, ut tot simul in iisdem sollemnibus coiuncta sint; ex quo inferimus Amphiarai ludos insignes et pulcherrimos fuisse extremis saltem Romanae rei publicae temporibus, in quae cuncti fere agonistici tituli, qui innotuerunt, incidere videntur. Victorum etiam nomina, quae in his catalogis inscripta sunt, ostendunt ex omnibus orbis terrarum partibus et artifices et athletas huc certatum confluxisse. Athenienses, Thebani, Boeoti numero frequentissimi sunt; sed et ex reliquis

(1) De Boeoticis ludis, vid. *C. I. G.*, 1583-1591 et Boeckhii commentarios; Keil, *Sylloge Inscript. Boeotic.*, n° V-VII b, p. 51 et seq. — Cf. titulos Chium, *C. I. G.*, 2214, et Aphrodisienses, *ibid.*, 2758 et 2759. Reinach, *Traité d'épigraphie*, p. 400 et seq.; Hermann, *Lehrbuch der gottesdienstl. Alterthümer*, § 50; cf. § 48, n. 2 et 4. De gymnicis agonibus, vid. Krause, *Gymnastik u. Agonist. der Hellen.*; cf. *Bull. de corr. hellén.*, V, p. 69, 232-233; de poeticis certaminibus, vid. Reinach, *Bull. de corr. hellén.*, XIII, p. 373-374.

civitatibus multi occurrunt, Lacedaemonii, Asiani, Siculi, Itali, Romani (1).

Hactenus de religione publica Oropiorum et de sollemnibus, quae civitas sumptibus suis instituebat, egimus; sed et cives peregrinique privatim Amphiaraum colebant; de illis loquor qui sacrum frequentabant. Nam, ut rettuli supra, et aegroti morborum sanandorum causa huc conveniebant, et qui de futuris rebus deum consulebant (2). Omnibus his sacra quaedam praescripta erant; de quibus quoque pauca traduntur; tamen ex certis indiciis perspicimus hunc privatorum cultum maximam similitudinem habuisse cum illo qui in Attico Asclepieio fiebat : eius autem caerimoniae nobis satis notae sunt (3).

In Asclepieio quidem, qui deum consulturi veniebant, primum frigida aqua lustrandi erant; piaculum id in multis veterum sacris imponebatur (4). In Amphiareio autem, si Pausaniae credendum est, paulo diversam rationem sequebantur : nam in fonte sacro non lavabantur, sed sacrificium quoddam pro pia-

(1) Tituli agonistici Oropii occurrunt in Preller, *Oropos*, p. 150, n° 1 = Newton, *Transactions*, p. 127 et 276; Kumanudes, Ἐφ. Ἀρχ., 1884, p. 121-130.

(2) Vid. supra quae exposuimus part. II, cap. I, p. 101 et seq.

(3) P. Girard, *L'Asclépieion d'Athènes*, part. II, cap. I, p. 65 et seq.

(4) P. Girard, *L'Asclépieion d'Athènes*, p. 69-71; cf. notissimum ex Andania titulum; Le Bas et Foucart, *Inscript. du Pélop.*, 326 a.

culo erat (1). Sacrum autem faciebant et ipsi Amphiarao et reliquis diis, quorum nomina cum eo coiuncta erant (2).

De hoc sacrificio, praescriptio illa, quae de cultu agit, pauca adicit. Quotiens sacerdos in templo aderat, ipse sacrum faciebat; quotiens non aderat, — quod solebat plerumque fieri, — unusquisque pro semetipso rem divinam peragebat; solis publicis sacrificiis interesse sacerdos iubebatur (3). Victimam autem, quam quisque arbitrio suo elegerat, immolabat; carnem nulli licebat e sacro auferre, sed pars victimae humerus sacerdoti seponebatur (4).

Quo sacrificio rite facto (id, ut supra dixi, pro piaculo habebatur), rursus, ut ait Pausanias, arietem mactabant (5). His peractis, pelle victimae substrata incubabant, quoad sibi nocturna somnia apparerent (6). Ἐγκοίμησις haec erat: de qua tot iam viri docti disseruerunt, ut rem de integro tractare supervacaneum videatur (7). Qui autem incubabant,

(1) Pausan., I, XXXIV, 4; quem locum dedimns supra, p. 113, n. 2. Ad quem adnotat P. Girard, p. 71, n. 2: « Cela semble indiquer qu'il y avait une autre source ἐπὶ καθαρσίοις ἢ χέρνιβι, ou tout au moins que des ablutions d'eau lustrale précédaient l'incubation dans le sanctuaire. » Etsi hoc perquam probabile videtur, Pausaniae verba quae sequuntur (§ 5) repugnare videntur: καὶ πρῶτον μὲν καθήρασθαι νομίζουσιν ὅστις ἦλθεν Ἀμφιαράῳ χρησόμενος· ἔστι δὲ καθάρσιον τῷ θεῷ θύειν.

(2) Pausan., *ibid.* Vid. supra, p. 111.

(3) Vers. 25 et seq.

(4) Vers. 30 et seq.

(5) *Loc. cit.*

(6) *Ibid.*

(7) P. Girard, *op. laud.*, p. 65 et seq.; cf. Hermann, *Lehrbuch*, II, § 41, 19. Vid. imprimis Aristoph., *Plut.*, v. 620-748.

in porticu illa, quam supra descripsimus, noctem peragebant (1); in ea autem scimus partem alteram viris reservatam fuisse, feminis alteram; in medio ara posita erat (2).

Illis autem, qui pernoctare statuissent, refert Philostratus praescriptum fuisse ut cibo die uno abstinerent, vino autem tribus, ita ut ieiunium servantibus somnia dilucidiora apparerent (3). Per somnium igitur deus responsum edebat, sive curationem aliquam adhibendam suaderet, sive oraculum, quod a se erogabatur, promeret. Nonnunquam etiam consulentibus sacrificium novum praescribebatur vel donarii cuiusdam consecratio (4). Epidauri quidem tabulae permultae repertae sunt, in quibus responsa illa, quae numen edebat, conscripta legimus; ex Amphiareio nulla eiusmodi ad nos pervenit.

Nunc, quam frequens peregrinorum ex omni terrarum parte concursus in Amphiareium fieret, facile intellegimus. Nam alios religio quaedam impellebat, alios aestivo tempore pelliciebat ipsa loci amoenitas. Iam perantiquitus late sacri faman pervenisse inde

(1) Supra, part. II, cap. II, p. 114; cf. tab. II, P.

(2) Κανονισμός, vers. 43-46. Ex quibus verbis liquet non de illa ara cogitandum esse, quae ante templum (tab. II, D) collocata erat.

(3) *In Apollon. Vit.*, II, 37.

(4) P. Girard, *op. laud.*, p. 75.

discimus, quod Croesus rex ex interiore Asia oraculum consultum mittit et ditissima munera largitur (1). Per longam deinde saeculorum seriem apparet eandem Amphiarao fidem honoremque perduravisse. Initio quarti a. C. n. saeculi praescriptum conditur, quo omnia ad cultus rationem et peregrinorum hospitalitatem constituendam ordinantur. Proximis postea temporibus ingens decretorum proxenicorum numerus satis demonstrat undique turbam externorum hominum eodem confluxisse. Nec praetermittenda sunt illa sollemnia, quae civitas celebrabat, ut ludis et variis spectaculis oculos et mentes advenientium oblectaret. Statuarum denique longus ordo testatur usque ad Augusti aetatem non defecisse qui in Amphiareio commorarentur. Earum dedicationes duplicis generis sunt : nam alias privati condiderunt, seu pro se quisque, seu pro amico vel propinquo quodam signum consecrabat; alias multo plures ipsa Oropiorum civitas conscribi iussit, cum viros illustres pro beneficiis acceptis honorare vellet (2). Tanta nominum copia, quae occurrunt, — si meminerimus praeterea multa deleta fuisse, ut nova eodem loco exararentur (3), — declarat etiam ultimo a. C. n. saeculo famam sacri praevaluisse. Omnes illos Romanos, qui memoriae posterorum traduntur, pro certo habendum est Amphiarai templum frequentavisse; plurimis ex illis σωτήρ, πάτρων, εὐεργέτης no-

(1) Supra, p. 26; p. 96.
(2) Indicem nominum vid. infra in Append. IV.
(3) Cf. supra, part. 1, cap. III, p. 49.

mina adduntur. Casu accidit ut de nemine, Sulla excepto, definire queamus qua de ratione honoribus augeatur et statua condonetur; verisimile est tamen plerumque non pro peculiaribus beneficiis munera haec concessa fuisse; sed viris insignibus, qui sacrum inviserant vel ibidem per aliquantum temporis spatium constiterant, in hunc modum gratia persolvebatur. Satis hoc ipsum erat ut magnifica haec nomina, εὐεργέτην et σωτῆρα, civitas imponeret, qui mos apud Graecos Romanis temporibus adeo usitatus et vulgatus erat, ut vis omnis ex verbis excessisse videatur. — Postremo etiam tertio post Chr. saeculo de Amphiarao verba fecit Philostratus tanquam de magno et gravissimo numine, adeo ut celebritatem sacri non antea imminutam fuisse existimaverim, quam Constantinus fanum funditus everti iussisset (1).

(1) Philostr., *In Apollon. Vit.*, II, 37; *De imagin.*, I, 26. Supra, part. I, cap. IV in fine.

CONCLUSIO.

In breve nunc colligenda sunt quae in utraque huius disceptationis parte exposuimus.

In priore quidem, postquam descripsimus illam regionem, in qua Oropus exsistebat, constituimusque, quantum fieri potuit, singulorum locorum situm, historiam urbis a principio enarravimus. Quae nunc, ut singulas res praetermittamus et retineamus eas tantum, quae cum Atheniensium et Boeotorum rebus coiunctae sunt, ita fere in summam contrahi potest :

Cum Eretriensibus societatem Oropii antiquitus videntur servavisse, cum ab illis urbs eorum condita probabiliter fuerit; iam ab exeunte sexto a. C. n. saeculo usque ad annum 412, in dicione est Atheniensium;

412-402 : sui iuris facta est; anno 402 autem a Thebanis occupatur et foederi Boeotico adiungitur ;

Anno 383 vel certe circa id tempus, rursus Oropum Athenienses reciperant, deinde usque ad annum 366 servant ;

366-338 : urbs foederi Boeotico consociata est ;

338-322 : Atheniensibus obnoxia est.

Ab illo tempore usque ad extremos ultimi a. C. n. saeculi annos continua quidem documentorum series praesto non est; ex universis tamen sive scriptorum sive titulorum, qui frequentissimi supersunt, testimoniis apparet Oropum urbem vel foederi Boeotico alligatam fuisse vel, postquam foedus Romani dissolverant (171), sui iuris mansisse, hoc tamen pacto ut mox cum reliquis Achaiae urbibus inter stipendiarias civitates imperii Romani recenseretur (ab anno 146), deinde, post Sullanam consecrationem (86), inter immunes.

Quo tempore postea urbs ab Atheniensibus recepta fuerit, nescimus, etsi probabile videtur iis sive a Marco Antonio sive ab Augusto concessam fuisse; altero saltem p. Chr. n. saeculo Pausanias Atticae eam iamdudum adscriptam esse confirmat.

Quibus ex ordine enarratis pauca deinde adiecimus de Oropiorum republica, moribus, lingua.

In posteriore autem commentationis parte primum quae de Amphiarao heroe fama vulgata esset breviter commemorata, ita ut apertius intellegeretur, quae heroi facultates a vulgo tribuerentur, qualis eius fuerit cultus, ipsum sacrum descripsimus tum investigatione locorum freti tum ea comperientes, quae de ipso sacro aliisque similibus scriptores tradunt. Ex titulis deinde sacrarum rerum administrationem explicavimus, tum cultus publici privatique rationem reddidimus. Sollemnia, quae ibi quotannis fiebant, simul permultarum statuarum dedicationes compro-

bant Amphiarai famam certis quidem temporibus late prolatam fuisse, ita ut plurimi peregrini, inter quos illustres viri nonnulli occurrunt, sacrum frequentarent.

APPENDICES

APPENDICES I-III.

SACERDOTUM, ROGATORUM, PROXENORUM NOMINA, QUI IN TITULIS PROXENICIS OCCURRUNT.

I. — *Sacerdotes.*

Sacerdotum nomina in prima columna transcripsimus; in media Boeotos archontes, in tertia Oropios archontes adiecimus, qui una magistratus fuerunt.

Sacerdotes	Archontes Boeotorum	Archontes Oropii
Ἀθηνόδωρος		
Ἀλεξίδημος		
Γλαύκων	Ἀπολλόδωρος	Παυσανίας
Δημαίνετος Ἑρμαίου	Φιλόξενος	
Δημοκράτης	Διονύσιος	Νικοκλῆς
Δημοκράτης ὁ δεύτερος?		
Δημόστρατος	Ἵππαρχος	Ἑρμόδωρος
Διόδωρος	Χαρίδαμος	
Ἐξηκεστίδης.	Νίκων	
Ἐπικράτης	Στράτων	
Ἑρμαιώνδας		Φιλιστίδας

Ἑρμόδωρος		Ἥδων
Εὐκράτης Φίλωνος		Λυσιμένης Φιλίππου
Θεόδωρος	Φίλων	
Κλεόμαχος	Καφισίας	
Κτησιφῶν		
Μένων		
Μολοττός		
Νίκιππος		Θεότιμος
Ὀλύνπιχος		
Πίργης	Ἀριστόμαχος	
Σάων		Λύσανδρος
Σπίνθαρος		
Στέφανος		
Τίμαρχος		Νικόβιος
Φανόστρατος	Εὔεργος	
Φιλίδης Φαινίου	Ἀναξίμβροτος	Μητρόδωρος
Φιλιππίδης	Θεότιμος	Πολυκράτης
Ὠρωπόδωρος	Ποτίδαιχος	

Huius indicis nonnulla nomina etiam inter decretorum rogatores occurrunt : Δημόστρατος, Ἐπικράτης, Κλεόμαχος, Κτησιφῶν, Ὀλύνπιχος, Πίργης, Στέφανος. — Ἑρμόδωρος quidam etiam Oropius archon fuit. — Non tamen affirmare ausim eosdem designari viros, quorum nomina eadem sunt.

II. — *Rogatores decretorum.*

In prima columna rogatorum nomina inscribo, in altera Boeotorum archontum, in tertia sacerdotum, qui eponymi fuerunt eo anno, quo decretum conditum est.

Rogatores	Archontes Boeotorum	Sacerdotes
Αἰρέας Λυκανίου (bis)	Στράτων	Ἐπικράτης
Αἴωλος Διτίωνος	Ἀναξίμβροτος	Φιλίδας Φαινίου

Ἀμφίνικος Πυθίωνος (ter)	Ποτίδαιχος Στράτων	Ὠρωπόδωρος Ἐπικράτης
Ἀντίμαχος Σίμου (bis)	Θεότιμος	Φιλιππίδης
Ἀρίστιππος Θεοξένου	Ἵππαρχος	Δημόστρατος
Ἀριστομένης Νικίου (bis)		
Ἀριστομίδης Πίργου		Μένων
Ἀριστόνους Αἰσχυλίδου (bis)		Στέφανος
Ἀρίστων Νικοστράτου (ter)	Φιλόξενος	Δημαίνετος Ἑρμαίου
Βούλων Ἀμύντου	Φίλων	Μικι....
Δαμόκριτος Τιμογένιος	Χαροπῖνος (decretum a foedere latum)	
Δημήτριος Μνασίλλου		
Δημήτριος [Σ]ωφίλου (bis)		
Δημόστρατος Εὐδήμου		
Διονυσόδωρος Σίμου		Ἀθηνόδωρος
Διονυσόδωρος Σωτῆρος		
Ἐπικράτης Ἀρχ[ίππ]ου		
Ζώπυρος Διονυσίου		Τίμαρχος
[Κα]λλιγείτων Ἀριστάνδρου (bis)	Ἵππαρχος	Δημόστρατος
Καλλίστρατος Ἀντιδότου		
[Κ?]λέαρχος Αιμναίου		
Κλεόμαχος Μειλίχου	Διονύσιος	[Δημοκράτης]
Κτησιφῶν Ἀμφινίκου		Σπίνθαρος
Μείλιχος Ἀριστογείτονος (bis)	Φίλων Διονύσιος	Θεόδωρος Δημοκράτης
Μητρόδωρος Ἕρμωνος		
Νικόμαχος Ἡφαιστοδώρου		
Ὀλύμπιχος Ἑρμοδώρου		
Παυσανίας Κιρωνίδου		
Πίργης Ἀρχιππίδου	Στράτων	Ἐπικράτης

Πλουταρχίδης Φιλιστίδου		
Πολύνικος Πανδάρου (ter)	Εὔεργος	Φανόστρατος
	Χαρίδαμος	Διόδωρος
Πυθόκριτος Ἀνθέως (?)		Δημοκράτης
Πύθων Καλλιγείτονος (ter)		Μολοττός
		Κτησιφῶν
Στέφανος Ἀκο[ντ]ίλλου		Ἑρμόδωρος
Σωσθένης Εὐθυδήμου		
Ὠρωπόδωρος Θεοζότου (ter ; semel tamen patris nomen non legi potest)	Νίκων	Ἐξηκεστίδης
	Ἀριστόμαχος	Πίργης
	Ἀπολλόδωρος	Γλαύκων
. ρ . οντος Καλλικλέους		
Ὑ]μναῖος Νικανδρίδου	Διονύσιος	Δημοκράτης (ὁ δεύτερος)
. . . ας Ἀρ[χι?]τέλους		
. . . . ος Κρατίνου	Στράτων	Ἐπικράτης (ὁ δεύτερος)
. . . . . Εὐφήβου		Ὀλύνπιχος
. . . . . Μυννιχίδου		
. . . . . Πυρριδήμου		Διόδωρος
. . . . δίκου	Στράτων	Ἐπικράτης

Inter eos rogatores quidam cum duobus vel tribus Boeotorum archontibus vicissim occurrunt, ita ut inde proximitas eorum probabilior fiat : sic Πολύνικος Πανδάρου Εὔεργον et Χαρίδαμον proximos fuisse demonstrat, Ὠρωπόδωρος Θεοζότου, Νίκωνα, Ἀριστόμαχον et Ἀπολλόδωρον, — Ἀμφίνικος Πυθίωνος, Ποτίδαιχον et Στράτωνα, — Μείλιχος Ἀριστογείτονος, Φίλωνα et Διονύσιον.

Deinde, quaedam nomina rogatorum etiam inter archontes Oropios et sacerdotes memorantur (inter archontes, Μητρόδωρος et Παυσανίας ; inter sacerdotes, Δημόστρατος, Ἐπικράτης, Κτησιφῶν, Ὀλύμπιχος, Πίργης, Στέφανος, Ὠρωπόδωρος). Cum vero plerumque archontum et sacerdotum nomina sine patronymico referantur, indicia haec infirmiora esse fatemur.

Denique Πύθωνα Καλλιγείτονος inter foederis Boeotici ἀφεδριατεύοντας, archonte Samia, collocatum videmus : *C. I, G.*, 1513,

v. 12 = Larfeld, 15 = *Bull. de corr. hellén.*, XIII, p. 5. — Eiusdem pater dedicationem Amphiarao fecit, quam infra memorabimus (App. IV, 5).

III. — *Proxeni Oropiorum.*

Ἀθηναῖος	Ἀρίστυλλος Χαριδήμου
»	Βάλαχρος Εὐφρονίου
»	Δαιμένης Δαιμένου
»	[Δ]η[μ]οχάρης Διογνήτου
»	Διόδωρος Ἀρτεμιδώρου
»	Εὐβουλίδης Καλλιάδου
»	[Ε]ὐόδων . . . . ους
»	Ἑρμίας Νεάρχου
»	Ἡραῖος Μητροφάνου
»	Θεόφιλος Φαιδίμου
»	Κηφισοφῶν ? . . . .
»	Κτησικράτης Ζωΐλου
»	Μενεκράτης Ἱππάρχου
»	Νικίας Ἐπιμενήδου ?
»	Ποσείδιππος Διονυσίου
»	Πύρρος Ἀπολλοδώρου
»	Πωλίας Ἡγεμάχου
»	Σωσιγένης Διονυσίου
»	Σωφάνης Διονυσίου
»	Τελέσιππος Τιμοθέου
»	Φιλλέας Ἀγασιλάου
»	Φιλοκλῆς Φιλίνου
»	Χαιρίτης Φαιδίμου
»	. . . . Εὐδίωνος
»	. . . . . Κηφισῶντος ?
»	. . . . . . μίλου
Αι . . . . ἀπὸ Μελιτείας	Ἄδαμας Δίωνος
Αἰγειράτης	Ἱέρων Τηλεκλέους
Βυζάντιος	Φορμίων Νυμφαίου
Δήλιος	Ἀμφικλῆς Φιλοξένου

Ἐλατεύς	Γενναῖος Κλε . . . ιος
Εὐρωμεύς	Μεν[εκρά]της Μελανίππου
Ζακύνθιος	Ἀριστόνικος Δ[ιο]φάντου
Ἡρακλε[ώτης]	Σώπατρος Ζήνωνος
Θάσιος	. . . . Ἀγαθοκλέους
Θετταλός	Δαίμων ΤΑΙΟΥ
Θ[ετταλός ?]	Πολεμοκράτης Ζωΐλου
Θηραεύς	Ἥδυλος Εὐπολέμου
(Θηβαεύς Pittakis, Newton et Rangabis)	
Καρύστιος	Ἀπολλόδωρος Ἀντιφ[άντου ?]
»	Καλλίας ΡΕΘΡΑΟΥ
Κασσανδρεύς	Ἡράκλειτος Εὐάνδρου
Κη	Ἀντίπατρο[ς Καλλι]γείτονος
Κορκυραῖος	Μ[ο]υρίων Νίκωνος
Κορίνθιος	Ἵππαρχος Μέμ[νω]νος
Κρής	Οἰνόφιλος Φιλίσωνος
Κῷος	Ἀπολλώνιος Μενίσκου
Λαμψακηνός	Κλεόπολις Ἀπολλοδώρου
Λαμ. . . .	Πυθῶναξ Δαμασίππου
Λα . . .	. . . ληνος Διονυσίου
Μακεδών	Ἀγάθων Βουτα . . .
»	Φίλιππος Ἀλκιμάχου
» ἀπὸ Θεσσαλονίκης	Νικόμαχος . . . . .
Μυριναῖος ?	Ἑρμογένης Ἀπολλωνίου
Παλεύς	Ἄλκων Λακράτου
Πάριος	. . . .
Παριανός	Μοσχίων Ἀριστείδου
Περγαμηνός	. . . . ίππου
Ῥόδιος	. . . . αντος
»	Κλεόνικος Κλεοκράτου ὁ τραγωιδός.
Σελευκεύς ?	. . . . τράτων Α . . . . λίου
Χαλκιδεύς	Πα[σί]ων Πρωτάρχου
»	Φάνος καὶ Κλεόξενος Ἀγασικλέους
»	Ἐργοκλῆς Χαριδάμου
Χύτριοι	. . . . . ος Τίμωνος καὶ Εὔνικος Εὐνίκου.

APPENDIX IV.

INDEX DEDICATIONUM.

Dedicationum, quae in statuarum basi exaratae fuerunt, duo genera esse monuimus : aliae enim ab Oropiis conditae sunt, qui viros quosdam illustres honoris causa *patronos* sibi constituunt, aliae multo pauciores a privatis inscriptae. Quarum promiscue omnium indicem dare placuit, servato potius, quantum licet, temporum ordine. Duas praemitto, quae ineditae sunt ideoque Graecis litteris edendas esse putavi. De reliquis mentionem tantummodo feci, nomina sola virorum retinens, qui occurrunt.

1-2. In eadem basi.

[᾿Αρισ]τονίκη Φιλοκύδου	Τιμαγόρα Πτωΐωνο[ς]
τὸν ἄνδρα	τὴν μητέρα
[Π]τωΐωνα Σκυθρίωνος	᾿Αριστονίκην Φιλοκύδου
᾿Αμφιαράωι.	᾿Αμφιαράωι.

3-4. In eadem basi (᾿Εφ. ἀρχ., 1885, p. 107, nº 8).
Democrite patrem Theodorum Archilochi f. et filium Theodorum Demaeneti f.

5. Preller, *Oropos*, p. 156, nº 2.
Calligeiton Pythonis Boidium Philonautae f.
Is pater fuisse videtur illius Pythonis qui duo decreta ro-

gavit quique semel inter *aphedriateuontas* foederis Boeotici archonte Samia fuit (exeunte tertio a. C. n. saeculo); cf. supra, app. II. — Vers. 1. Preller male interpretatur φίλον αὐτοῦ.

6. Ἐφ. ἀρχ., 1886, p. 61, nº 19.
Timarchos Theodori.

7. *Ibid.*, p. 55, nº 16. Loewy, *Inschr. griech. Bildhauer*, nº 127ᵃ.
Charias Neoptolemi f. Atheniensis patrem Neoptolemum Stratoclis f. Atheniensem.

Idem vir in rationibus curatorum navalium Atheniensium occurrit, in quo titulo trierarchia pro Deliade nave ante Ol. 111,3 = 334/3 functus est (*C. I. A.*, II, 804 A, col. b, vers. 10 et seq., 24 et seq., 47 et seq.). Dedicatio aetati adscribenda est, qua Oropus Atticus non est, nam Chariae nomini ethnicum, non demoticum additum est; quapropter aut ante 338 aut post 322 condita est. — Infra legitur subscriptio artificis Praxiae (app. V, nº 6) quae in eandem aetatem incidit.

8. *Ibid.*, p. 54, nº 15.
Pisis Chariae f. (Oropius, ut videtur, nam ethnicum desideratur).

9. *Ibid.*, p. 70, nº 23.
Aristomedes fratrem Megacleidem Aristomenis f.
Hanc dedicationem Macedonicis temporibus adscribit Leonardos.

10. *Ibid.*, 1885, p. 102; Loewy, 103ᵃ.
Lysimachus rex Adeiam Autodici fratris uxorem.
Lysimachus regnum anno 306 usurpavit, anno 281 interiit. De uxore fratris eius, quae hic occurrit, nihil scimus. — Vers. 2. Loewy opinatus est Αὐτολύκου nomen legendum esse;

nam frater Lysimachi hoc nomine appellatur a scriptoribus (Droysen, *Hellen.*, II², p. 147). Sed mihi lapidem inspicienti videtur rectam lectionem a Leonardo datam fuisse. — Infra subest artificis subscriptio quam eidem aetati tribuerim (Sthennis Herodori f. Atheniensis, app. V, n° 1).

Omnes dedicationes, quas hactenus commemoravi, aut in alteram quarti saeculi partem aut in primos tertii annos incidere comprobant tum scripturae ratio tum ipsa nomina sive dedicantium sive artificum. Quae nunc sequuntur ultimo a. C. n. saeculo adscribendae sunt.

11-12. *Ibid.*, 1884, p. 100, n° 5-6.

L. Cornelius L. f. Sulla Epaphroditos; Metella Caecilia L. Sullae Epaphroditi uxor. — Phrynichos sacerdos erat. — Subscriptus est Teisicrates Thoeniae f. (app. V, n° 4); cf. supra, part. I, cap. IV.

13. *Ibid.*, 1886, p. 66, n° 22.

P. Servilius C. f. Isauricus consul imperator.

P. Servilius C. f. M. n. Vatia consul fuit 79 a. C. n. (ab Urbe condita 675), anno proximo in Ciliciam ut proconsul missus est adversus piratas, in qua tribus annis bellum gessit; deinde, pacata regione, Romam anno 74 (ab U. C. 680) rediit, et triumphum deportavit, accepto etiam agnomine Isaurico. Dedicatio igitur posterioris aetatis est. — De filio eius P. Servilio P. f. C. n. Vatia Isaurico vid. Waddington, *Fastes de la province d'Asie*, p. 70 (n° 37); cf. *Mittheil. Instit. Athen*, X, p. 273.

14. Loewy, n° 112ᵃ.

Cn. Cornelius Cn. f. L. n. Lentulus. — Quis sit, non liquet.

15. Ἐφ. ἀρχ., 1885. p. 109, n° 9.

Appius Claudius Appii f. Pulcher.

Is anno 61 a. C. n. in Graecia reperitur, ubi signa et pictas tabulas colligit (Cic., *Pro domo sua*, 43; Schol. Bob. in *Orat. in Clod. et Cur.*, p. 338, Orelli). Dedicatio igitur certo anno assignari potest. — In alia etiam dedicatione, quae Athenis est (*C. I. A.*, III, 566) eidem viro imperatorium nomen adiectum est, quod anno 53 in Ciliciensi bello consecutus est. Propylaeum is etiam Eleusine aedificavit (*C. I. L.*, I, 619; Lenormant, *Recherches à Eleusis*, p. 50).

16. *Ibid.*, 1886, p. 64, n° 21.

Cn. Calpurnius Cn. f. Piso.

Is videtur fuisse, qui cum Pompeio bellum adversus piratas et Mithridatem fecit; anno 61 a. C. n. consul fuit.

17. *Ibid.*, p. 63, n° 20.

Paula Publia M. f. Cn. Pisonis (eius scilicet, quem supra rettulimus) uxor.

18. *Ibid.*, p. 55, n° 17. Loewy, 135b.

C. Scribonius C. f. Curio.

Huius pater anno 76 consul fuit, ipse tribunus plebis anno 50. Dedicatio anno 53 probabiliter adscribenda est, quo is in Graecia agebat.

19. *Ibid.*, 1885, p. 155. Loewy, 153b.

Q. Fufius Q. f. Calenus legatus pro praetore.

Dedicatio plane similis in honorem eiusdem viri condita Olympiae reperta est (Dittenberger, *Arch. Zeit.*, 1876, p. 221 et seq., n° 25). Utraque paulo recentior Pharsaliea pugna (48) est. — Πρεσβευτὴς καὶ ἀντιστράτηγος idem valet atque *legatus pro praetore* : Fougères, *Bull. de corr. hellén.*, XIII, p. 391.

20. Loewy, 122a.

Q. Caepio Q. f. Brutus.

Notissimus ille Brutus fuit, qui C. Iulium Caesarem interfecit, quemque ante annum 59 adoptaverat Q. Servilius Caepio. Post Pharsalicam pugnam (48) in Graecia versabatur; ibidem et anno 44 post Caesaris caedem agebat; huic anno dedicationem adscribit Loewy.

21. Loewy, 125a.

M. Agrippa L. f. tertium consul.

Ætas dedicationis inter annum 27 a. C. n., quo Agrippa tertium consul fuit, et 12 a. C. n., quo interiit, incidit. Cf. *C. I. A.*, III, 575-6.

APPENDIX V.

INDEX ARTIFICUM.

Catalogum denique subicio artificum, quorum nomina tituli Oropii exhibent. Omnia haec publici iuris facta sunt. Ordinem temporum, quantum potui, servavi et notavi.

1. Loewy, 103^{a}. — Sthennis Herodori f. Atheniensis; anno 348 recentior. Cf. supra, app. IV, ded. 8.

2. *Ibid.*, 112^{a}. — Herodoros Sthennidis f. Atheniensis. Artifex eius, quem praemisimus, filius est.

3. 'Eφ. ἀρχ., 1886, p. 58; Loewy, 125^{a}; cf. 125^{b}. — Metiochos. Inter antiquissimas reponenda subscriptio; artifex fortasse Oropius est, quoniam ethnicum non commemoratur.

4. Loewy, 120^{a}. — Teisicrates Thoeniae f.

5. *Ibid.*, 122^{a}. — Thoenias Teisicratis f. Sicyonius. — De illo artifice mentionem facit Plinius; circa ultimos quarti saeculi annos.

6. 'Eφ' ἀρχ., 1886, p. 55; Loewy, 127^{a}. — Praxias Lysimachi f. Atheniensis. Ætas, ut videtur, in alteram quarti saeculi partem incidit.

7. Loewy, 135^{a}. — Xenocrates Atheniensis. Ætas proxima est.

8. *Ibid.*, 135^{b}. — Xenocrates. Idem videtur fuisse, scriptura tamen dissimilis est.

9. *Ibid.*, 153^{a}. — Simalos.

10. Ἐφ' ἀρχ., 1886, p. 155; Loewy, 153b. — Simalos. Scriptura dissimilis est.

11. *Ibid.*, 1885, p. 107. — Dionysios Aristonis f. In basi exarata est, in qua Democrite dedicationem inscripsit; eadem mihi quidem aetas visa est (App. IV, 3-4).

12. *Ibid.*, p. 109. — Agatharchos Dionysii f. Boeotus.

13. *Ibid.*, 1886, p. 53. — Sosis. Exeunti tertio saeculo aut alteri incipienti assignanda est subscriptio.

Vidi ac perlegi

Lutetiae Parisiorum, in Sorbona, a. d. xix kal. januar. anni MDCCCLXXXX. Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi decanus,

A. HIMLY.

Typis mandetur :


Academiae Parisiensis Rector,

GRÉARD.

INDEX CAPITUM

11

INDEX TABULARUM.


A
10
P